

Tom: LXXVI. Miscell:

~~G.H. 70.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-18.

SIGNAT. 61515CCCXIII.

667

SEPTEM VERBA

Quibus

ceu

SEPTEM CODICILLIS
CHRISTUS, DOMINUS NOSTER
BENIGNISSIMUS

in

CRUCIS SUE LIGNO ET LECTO
SUAM DE SALUTE NOSTRA LARGISSIME

Testatus est Mentem

Quorum TRIA Priora,

Jussu & Indultu

Facultatis in Academia Lipsiensi Reverendissimæ

pro

Solemnitate Doctorali

enucleata

jam sistit

SAMUEL Lange / S. Theologiæ Licentiatus &
Ecclesiæ Picaviensis Pastor ac Superintendens.

IIIX. Kalend. Octobr. Æræ Vulg. 1815 CLI.

Impensis Schürerianis & Götzianis.

ac

Typis Hæredum Timothei Hönji.

Perinlustri, Generosissimo Excellentissimoq̄
Domino

**Dno. CHRISTIANO, Sacri Rom.
Imperii Comitā Ranzau, Domino
& Toparchæ in Brettenberg, Equiti, & Sacræ Cæ-
sareæ Regiæq̄ve Danicæ Majestatum Consiliario Intimo
Regniq̄ve Senatori, Locum tenenti Supremo in Ducatu
Schleswizii ac Holstia, Camerario ac Governatori
in Stemberg / Diethmarschen & Langeland / &c.**

Domino & Patrono suo Gratosissimo

Gratiam & Salutem à Jesu Christo

demissè precatur

L. Samuel Lange.



Annuum fermè iam spacium est, GENEROSISSIME
Comes, quo presentia Tua pulcherrimo sidere
meum splendebat Domicilium, quo ve Animosam
Tuam Virtutem & Animum Virtuosissimum San-
guinis ex MAGNO WIPERTO jugiter COMITE (cujus
Ossa Templum Picaviense condit) Altissimi deriva-
tione nutritum admirari pariter ac devenerari co-
ram dabatur. Illi adeò modis omnibus credo, qui Inlu-
strum Virorum, quorum Me observantior nemo, cul-
tùm veram Ambrosiam esse & Deorum contubernio
Musarum sic inseri Alumnos dixit. Hoc ego summam
Tui cum reverentiã adsero, neq; distantia ulla Inlu-
strissimi Nominis Tui perennivivam recordationem
remorabitur. At sollicitudo pectus sapiusculè per-
cellit reminiscenti, quam vili Hospitio Tantus HEROS
apud me fuerit exceptus, in quo nec delicata fumabat
Ossa, nec adiposæ dapes palatum consueverant Unge-
re: attamen erigit me rursus tam innata Nobilissimo
Genio aut dignitate, quæ penuriam meam promptis-
simam excusabit facilitate, quam insignis illa Huma-
nitas Tua, quæ Hospitii hanc tenuitate offendi non
poterit; Accedit & recondita ac cum virtutibus
hiscè feliciter junctæ eruditio, quæ Bonæ Mentis adsi-
duam Sororem esse paupertatem Magnates oppidò
docet. Itaq; meditatus interea, quâ ratione familia-
rem defectum emendarem, & quod ferculis aut con-
dignam exceptione tum non licuit, modiolò literarum
quodam-

quodammodo compensarem; Ecce, PATRONE EMI-
NENTISSIME, præter expectationem omnem ansa se
obfert exoptatissima, quæ Nutu Facultatis in Almâ
Lipsiensi Reverendissima, pro Gradu summo in SS.
Theologiâ impetrando quandam materiem laboran-
dam & in Lucem edendam mihi præbet. Quæcirco
Occasionem hanc ipsam manibus accepi ambabus,
Literaria Hospitalitatis præsentem portiunculam,
cui plura adjungere Temporis angustia hac vice nega-
vit. subjecit à manu & mente transmittens; & quidem
eò lubentius, quod Amore in Optima studia eorumq;
Cultores ita inclinare Te sciam, ut ipsorum domicili-
um juxta atq; patrocinium esse concupiscas Tuum.
Serenâ igitur fronte accipe chartaceam hanc quidem
integerrimam tamen devotionis meæ paropsidem &
Gratiosissimo Benivolentia Tuæ condimento eandem
reddere sapidiorum ac veluti animare Clementer an-
nue. Benè Vale INCLUTISS' ME COMES & Imperatori
Tuoq; Regi, Patria Tuæ, Tuisq;, Musis & Mihi
Vive quàm diutissimè, quàm felicissimè.



Jova Juva!

TESTAMENTUM *Justiniano*
Imperatori, vel ante ipsum Servio Sul-
pitio, Jurisconsulto suę atatis Maximo, Men-
tis Testationem dici, nemini, qui vel labris
Institutiones gustavit primis, ignotum arbi-
tratur. Nec minus *Gellii Noctes*, nec post ipsum *Valla* pa-
tent *Elegantie*, quibus uterque *L. VI. c. XII. hic c. XXXVI.* *Justi-*
nianum & Sulpitium, vel si quis alius sit, qui prior id dixe-
rit, falsitatis accusant & Etymologiam istam, ut *explosam*
atq; *derisam* refugiunt. Non equidem frivolas has Gram-
maticorum argutias curare, nunc animus nobis est, ut po-
te, quę magis famem irritant, quam gustum explent: *Val-*
lam tamen, qui nescio, quibus tandem *dementiis & amen-*
tiis, Imperatorem onerat, vel ex hoc ipso censorem nimis
rigidum animadvertimus, quod *c. XXXV.* ejusque fine, sine
omni respectu *Justinianum & Jura & Latinitatem* ignorasse
scribit, dum ait: *Quod dixi Justinianum forsitan nec Jura,*
nec literas Latinas scisse, nemo miretur, tum, quia semper in
Graciã vixit, tum quia se Dominum Justinianum, (ut ex Nu-
mismae ejus adparet,) dici voluit, ut quidam alii Caesares fe-
cerunt, quod à Viro Romano est alienissimum, & Character
ipse literarum figurarumq; illorum temporum Numismatis Go-
thicum magis redolet, quam Latinum. Vera namque sint
ista de *Aulã & Lingva Justiniani Vernaculã*, de ipsius se-
de, & ætatis suę more; Sed Codicem inde ejusque Latini-
tatem

A

tatem

tatem infirmare quis conabitur, si Juris & æqui Arbitros
varia pariter scientiâ ac prudentiâ pollentes respiciet ab
Imperatore hujus gratiâ convocatos & sustentatos? De
quibus in mentem nobis venit Encomium illud Magnifi-
cum, quo Arcadius & Honorius Viros suos inlustres exor-
naverunt, cum illos, qui Consiliis ac Consistorio ipsorum
intererant, *pro corporis sui partibus* i. e. oculis, ore, manibus
pedibusque agnoverunt. *L. Quisquis. C. ad L. Jul. Majest.*
Hisce enim subsidiis Justinianum in tanto Jurisperitorum
& Consiliariorum Cætu, caruisse, nunquam persuadebi-
mur. Sic quoque Persarum Reges suos *Oculos & Aures*
habuisse inter Principes, videre licet apud *Hesychium & Sui-
dam* in voce *ὀφθαλμὸς βασιλέως*. Mitius à Gellio tracta-
tur Servius Sulpitius, dum falsa eq̄videm hæc Testamenti
compositio ab ipso censetur, *ast non abhorrens, nec incon-
cinna*. Nec enim in mente fuit Laudatissimo Imperato-
ri, nec ipsius Consiliariis, nec Jcto celeberrimo, crabro-
nes irritare Grammaticorum, aut obstipare ne evolent;
Sed rei potius Veritatem respexit Imp. & ex Mente Testa-
toris, Extremam ejus Voluntatem sive Testamentum, ad
fictam ejusmodi Compositionem adludendo, *Mentis Te-
stationem*, esse dixit.

II. Et hoc sensu nos quoque, ne longo & verboso
antilogio Lectorem Benivolum moremur, Extrema Sal-
vatoris nostri verba, quæ cruci adligatus jamjam Moritu-
rus, ex intimo mentis & cordis sui adfectu protulit, Vene-
randæ Antiquitatis Exemplo, *Testamentum* sive *Mentis
Christi Testationem* adpellare, haud quaquam ambigimus.
Quicquid enim illa de Heptalogo meditatur, quidquid
commentatur, quidquid scribit & tradit, id omne huc col-
line-

lineat, ut Mentem Salvatoris ac Testatoris nostri Unici & Beni-
gnissimi, Nobis ac salutis nostrae faventissimae esse, contestetur.

III. Jucunda sunt, quibus Bernhardus c. VIII. de
Passione, Verba Christi Extrema septifoliis semper virentibus
comparat, quae Vitis nostra, cum in Crucem elevata fuit, emi-
sit. Nec enim rei cuiquam, similior est Christus patiens,
quam Viti. Testes accedunt Forma ipsius deformis ac
despecta, & gloria cultro ignominiae quasi amputata, cutis
ex plagis lacera, Membra funibus ad crucem tracta & cla-
vis strictè expansa & adfixa, Lacrumae effluentes, & folia
septem Verborum ad Umbram ac Solatium afflictorum
exoptatissimum largiter patentia. Quae omnia sine du-
bio intendit Dominus noster, suis vale dicens dulcissi-
mum & Joan. XV, 1. iisdem penè verbis passionem suam
depingens, dum inquit: *Ego sum vitis vera*. Quemad-
modum haec ipsa laudatus Abbas aliquot capitibus elegan-
ter d. ducit. Si tamen ipse tractationis hujus Author est,
de quo Bellarminus T. VII. operum de Script. Eccles. p.
145. & Cornelius à Lapide in Joan. XV, 1. p. 474. propter sty-
li dissonantiam dubitat. Idem in Calamo & Mente est
Roberti Coci censura, dum inter opera Bernhardo falsò adscri-
pta p. 436. ad Testimonium citat Protestationem Editionis
Parisiensis 1517. quae auctor, quicumque tandem fuerit, p. 297.
sermonibus quibusdam, inter quos hic ipse tractatus unus
est, hanc ipsam annotationem praefixit: *Quamvis hi, qui se-
quuntur sermones, Boni & utiles reperiantur, quia tamen
procul dubio non à nostro Bernhardo editi fuerunt, idcirco cum
suis nitidis operibus sicut antehac fuerant, inseri nolimus,
sed seorsim imprimendos utilius duximus*. Quibus vero An-
tonius Possevinus in Adparatu Sacro p. 217. contradicit, dum
non solum Tractatum Bernhardi de Passione praedictum

inter opera ipsius recenset, sed etiam calculi loco hæc ad-
dit, ac si auctor stylum attemperasse videatur. Captui Virgi-
num, quibus scripserit ille.

IV. Pia quoque & devota est Meditatio Augustini,
quæ Tom. IX. Operum suorum p. 550. in Tract. 119. in Joan. scri-
bit: Lignum illud, in quo fixa fuerunt membra Christi morien-
tis, cathedram eidem fuisse Docentis. Audiuntur namque
ex cruce, tanquam ex cathedrâ, verba modò intercessoria,
modò promissoria, modò curatoria, modò querelis, modò
desideriis flagrantia, modò legis, modò mortis necessitatem
urgentia, & unde unque infirmitatem humanam super-
fluitate divinâ roborantia.

V. Nec desunt, qui Beato Dn. Gerbardo c. XI V.
Harm Passionis Evangelicæ p. 659. recensente, Heptalogi
nostri Figuram quarunt in Septem Candelabri aurei lucer-
nis, igne suo Tabernaculum serenantibus Ex. XXV, 37. Qui-
bus Domini Domus, hoc est, Ecclesia, summo cum tripudio
hucusquæ gaudet, dum radiis Septenarii hujus præclaris-
simi omnes Tenebrarum injurias feliciter dissipat atque
propellit. Quid enim Tenebrarum opera, peccata nem-
pe, ipsorumque ignorantia & malitia contra præsentem
ac prævalentem Christi intercessionem? I. Joan. II, 1. 2. In-
ferni te terrent tenebræ? Regnum Domini candidato in-
ferni patet hodie. Quid mundi desertio satis alias tene-
bricosa nobis, dum Christus e contra curam suam in com-
mune bonum extendit? Nec summa nec atra quasi Tristi-
tia sacram nostram perdit militiam, si Christum habemus
in nostro consortio & desertum à Deo suo & manu quoque
ereptum potentissimâ. Inter tenebras infirmitatum si-
cit ille nostram salutem. Et perfectissimâ consummatio-
ne ex tenebris & umbra mortis pedes nostros in viam pacis de-
ducit.

ducit, Luc. I, 79. Animæque nostræ ex valle mortis egres-
sum ostendit saluberrimum. Et hoc est, quod David in-
quit, *Psal. XXXVI, 10. In luce tua lucem videmus, & in luce ver-*
borum tuorum, mi Jesu, lux mentis & gratiæ tuæ nos lar-
giter inlustrat & circumfulget.

VI. Haut quoque absolum est, quod eodem refe-
rente, Heptalogum sacrum per *septem tubas* nonnulli ex-
primunt, quibus *Josua, Jesus Typicus c. VI, 4. turres & mœ-*
nia Jerichuntica sono prostravit victoriosissimo. Eadem
namque palma verbis debetur Jesu, quibus Acheruntici
Regis Mœnia, h. e. Peccatum, Infernum, Mundum, Despera-
tionem, Oscitantiam Carnis, Legis Maledictionem & mortem
inaudito successu expugnavit. Col. II, 14. 15.

VII. Nec Oculi nos in *Verborum* adumbratione
fallunt, quorum *Propheta Zacharias c. III, 9. in lapide, hoc*
est, Messia, summo tum sacerdoti Josua, promisso septem,
numerat. Sive enim oculos Christi proprios, sive alios
in ipsum directos intelligamus, nullibi tamen in medita-
tione hæc piâ turbamur. Oculos namque Christi, sive
oculos Christo lapidiq, promisso incisos & adfixos, qui cum Cor-
nelio à Lapide Com. b. l. p. 602. respicit, sine omni diffi-
cultate mentem & adfectum ipsius gratiosissimum ple-
namq, & perfectam, ut Cornelius explicat, cognoscet provi-
dentiam & vigilantiam, quâ Passionis suæ præprimis tem-
pore Templi & Ecclesie suæ fabricam erigere, adaugere, pro-
movere & confirmare laboravit. Hi sunt oculi Domini septem;
qui eodem Zachariâ c. IV, 10. interpretante, terram per-
currunt universam & nobis nostræque necessitati prospici-
unt, tum remittendo peccata & pro peccatoribus interceden-
do, tum calum pormittendo, tum curas obeundo & cæcum suum
congregando, cum extrema nostri ausâ patiendo, tum salutem

nostram sitiendo, tum legem & voluntatem DEI perfectissime
implendo, tum mortem ejusq; ob tum in Abitum & Transitum
beatissimum transmutando. Quorum insigne & oculare
specimen, qui in verbis Christi septem non videt, nihil vi-
det. Pari subsidio effectum hujus provisionis dulcissimum in
nobis promovent qui per oculos laudatos, alios & in Christum
aliunde tantum intentos & respicientes intelligunt, cujus opi-
nionis authores à Cornelio, Lyranus, Vat ablus, Fernandes,
Sanchez & alii nominantur. Pascuntur namq; oculi isti, non
tantum in curâ & benivolentiâ Dei patris summâ, quâ Lapidem
Ecclesiæ fundamentalis cælando & constituendo, h. e. Filio
patientis perfectissimâ ratione adfuit, ut præter Clavius & Ariam
Cornelio citatos, clarissimus Theologus & Philologus
Dn. D. Salomon Glassius l. V. Phil. Sacr. Tr. I. c. 7. p. 106. expo-
nit; Sed & Christianorum oculi attendendi simul sunt, qui
ex Passione hæc Christi saluberrimâ & largissimâ ejusdem
provisione in genci se pascunt solatio, ac fiducia indefessâ
in lapidem hunc cælatum respiciunt. Infallibilis namq;
passionis nota est cælatura ista, cujus Propheta loco citato
meminit dum dicit: *En lapis, quem posui ante Josuam; Super
lapidem unum septem sunt oculi. En ego celo, quod in eo cæla-
tum est, ait Dominus exercituum, & auferam iniquitatem
Terra hujus uno die.* Nec displicere nobis potest, quod
laudatus Glassius ex Tarnovianâ paraphrasi L. III, Tr. 3. can. 32.
p. 339. hunc in modum adducit: *Ego illum, Christum nem-
pe patientem, sudore sanguineo in hortu languidum, caput
ejus in domo Pontificis Maximi colaphis tumidum ac sputo fœ-
dum in Palatio Pilati totum corpus vibicibus lividum, verticem
coronâ spineâ lacerum, ac deniq; manus ac pedes ejus clavis
pertusos, latusq; ejus in cruce lanceâ perfossus, efficiam, ut bine
inde sculptus ac cælatus videri queat, & sic demum, justitiæ meæ
cum*

cum per illum fuerit satisfactum, amoturus sum iniquitatem
istius terræ die uno, passionis scilicet, quo omnia sub vesperam
sunt consummata. Et Münsterus de hoc versu ita scribit: Su-
per hunc lapidem, septem oculi debent esse intenti: hoc est, O-
mnes Christiani hunc solum spectare debent, per quem solum re-
missionem habemus peccatorum, & extra quem mæra sunt te-
nebra. Septenarius enim in scriptura significat universalita-
tem, hoc est, ut Dn. D. Cramerus in Bibliis suis computat, 1.
Adamum cum Patriarchis ante diluuium, 2. Abrahamum
cum suis posteris ex Isaaco & Jacobo prognatis. 3. Reges.
4. Prophetas, 5. Evangelistas, 6. Apostolos, Omnesque
7. Christianos ad finem mundi usque oculis fidei suæ præ-
dicto lapidi innitentes. Hunc lapidem, inquit Münsterus
Deus variis aperuit sculpturis, quando eum clavis & lancea
vulnerari permisit, & sanguinem effundere in emendationem
peccatorum nostrorum. Hæc autem emundatio peccatorum
unâ die facta hic perhibetur, quæ sufficiens est pro omnibus pec-
catis, quæ ab initio mundi sunt facta, & quæ fient usque ad finem
mundi. Et Christianum hoc oculorum servitium & ex-
ercitium non parum ipse Propheta intendit, dum v. 10.
amicè nos ad vitem & ficum, invitat, quæ ut Christi patien-
tis sunt imagines, ita quoque insignes passionis fructus ocu-
lis nostris ostendunt, eosdemque hoc ipso in se arctius qua-
si flectunt & figunt, quemadmodum pluribus id deducit
Rodolfus Gualter Hom. VII in Zach. p. 278 & 279.

VIII. Et hæc, alia vè plura, quæ silentio nunc præ-
terimus scientes, Mentem Christi de nobis sollicitissimam,
& salutis nostræ tenacissimam tanta soliditate ex sacro
heptalogo testantur & patefaciunt, ut Hunc ipsum, viâ vix
commodiore quam testamentariâ perlustrare possimus.
Nec requisita nobis de iunct Testamento, quorum Quinqve
adi

ad voluntatis ultimæ dispositionem Jurisconsultorum
sententiâ numerantur, ut sunt *Testator, Hæres, Bona, Sigilla,
& Testes.*

IX. Habemus namque TESTATOREM Jesum
Christum, Filium Dei unigenitum pro universo humano
genere, ipsiusq; loco & bono, in carne adsumtâ Verè ac
Realiter patientem & morientem, suaq; carne & morte
Novæ ac Veteri paginæ Notissimum. Ubi primò notanter
nos pro Testatore agnoscimus Filium DEI in carne ad-
sumta verè ac realiter patientem & morientem. Postulat
enim id ipsum communicationis idiomatum primū gen⁹,
quod proprium unius naturæ sive uni naturæ formaliter con-
veniens, cum ipsius naturæ notâ, personæ in concreto, adeoq; non
naturis in abstracto, sed toti supposito communicat. Et huc
pertinent, quæ Scriptura de Filii DEI Traditione Rom.
VIII, 32. de Filii DEI passione Eb. V, 8. de Domini gloria crucifi-
xione 1. Cor. II, 8. de DEI sanguine Et. XX, 28. de Filii DEI morte
Rom. V, 10. aliisque pluribus habet; quæ non eò per
ἀλλοιωσι Zwinglianam accipienda sunt sensu, ac si secundum
verba quidem passio toti personæ tribuatur, quæ tamen
secundum rem soli humanæ naturæ, in personâ Filii Dei
subsistenti, & pro nobis traditæ, passæ, crucifixæ, vulnera-
tæ & mortuæ competat, quemadmodum errorem hunc
perniciosissimum Calviniani, tum veteres tum recentio-
res, tenaciter fovent, & cum insidiosâ hac fraude defen-
dunt, ut, licet realem tandem Idiomatum communicationem
ratione subjecti vel ratione fundamenti, unionis nempe per-
sonalis, ex quâ illa fluit & oritur, concedere cogantur, verba
tamen, si modum ipsum loquendi spectes, adhuc urgeant &
retineant, teste inter alios Petro Ravanello in Bibliotheca
Sacra part. 1. in voce communicatio. p. 323. Sed contra nos
cum

eum scriptura & sanioris antiquitatis consensu adserimus, quod non tantum fundamentum, propter quod Passio & Mors Filio Dei communicatur, i. e. Unio Naturarum, nec tantum subiectum quod seu cui Passio & Mors communicatur, i. e. Filius Dei, verum ac reale sit, quia nempe Christus est verus Deus & verus Homo, sed etiam modus communicationis inter subiectum, filium Dei, & passionis ac mortis praedicata intercedens, omnino de Realitate illa participet, ut non solum persona illa, de qua mors & passio praedicatur, vere ac realiter Deus & homo sit, sed & vi unionis & ex hac sequentis communicationis & participationis vere ac realiter passa & mortua fuerit, *Caro enim illa passa est*, inquit Dn. D. Chemnitius c. XVI. de duabus Nat. in Christo, in Edit. Witt. 1623. fol. nobis 83 in qua tota plenitudo divinitatis habitavit corporaliter, Col. II, 9. Et venustissima est similitudo ista, & Evangelica omnino Philosophia, quam ille fol. seq. ex libro Lutheri de Ecclesia & Conciliis his verbis adducit: *Si in una lance appendantur peccata nostra & ira Dei peccatis nostris debita, ac in altera lance ponatur tantum humana natura & mors aut Homo tantum pro nobis passus, tunc altera lanx deprimit nos ad infimum usque infernum. Si vero in adversa lance ponatur DEI passio, DEI mors, DEI sanguis seu Deus pro nobis passus & mortuus, tunc gravior & ponderosior fiat lanx illa, quam omnia peccata nostra & universa ira Dei. Ut autem DEUS possit pati & mori, ideo oportuit ipsum hominem fieri, Deus enim in sua natura non potest mori. Sed quia Deus & Homo in Christo jam una est persona, ideo recte dicitur Dei mors, quando ille Homo moritur, qui cum DEO est una persona.*

X. Nec obstant Nobis incauta Patrum quorundam dicta & Phrases, quas ante litem Nestorii & Eutychetis

B

cis

tis damnatissimam imprimis protulerunt, dum laudato Chemnitio c. XV p. 80. recensente, de naturis loquentes, sæpe vocabula concretâ posuerunt pro abstractis & abstractis vocabulis sæpe fuerunt usi, quando personam designare voluerunt. Secura namque & incauta ipsorum verba & arma piâ cum simplicitate misturam facientia veritati, ex Hostium Telis sapienti, & prudentiâ circumspecta in prælia cinctæ, haudquam præscribere possunt. Quemadmodum & Hieronymus l. 2. Apolog. adversus Rufinum c. 4. T. 1. Oper. Colon. p. 206. A hanc ipsam Patrum nonnullorum infirmitatem circa Arianam controversiam ultrò agnoscit, dum scribit: Certè antequam in Alexandria quasi demonium meridianum Arius nasceretur innocenter quædam & minus cautè loquuti sunt, & quæ non possunt perverforum hominum calumniam declinare.

XI. Nec Hilarius Pictaviensis Episcopus veritatem nostram interturbat, dum Christum in passione suâ nullos dolores veros habuisse, sed secundum infirmitatem nostram simulasse tantum, & sicut telum per ignem vel ærem vel aquam sine ullo sensu transit, ita & passionem ipsius, sine sensu fuisse, docuit, ut Dn. D. Chemnitius refert in Orat. de Patr. Lectione p. 4. & Loc. Theol. part. 1. de Filio ejusq. humana natura, Certam. 4. p. 73. Ubi simul occasionem attingit, quâ Hilario Hæresin Arianam & abominandam illam divinæ in Christo Naturæ Destructionem impugnanti, verba hæc quasi exciderint; Sicut & hodiè inveniuntur, qui eodem providentiæ prætextu, & ne Arianis, Deitatem Christi ex ipsius Ministerio & Legatione arrodentibus, patrocinari videantur, Filium Dei in veteri Testamento & ante incarnationem Patribus adparuisse negant. Sed quum uterque Arianorum modus, si illi formam Christi servilis, sub quâ
Divi-

Divinitas Christi quævit, Huic verò eminentiam legationis ultrò susceptæ singularem, omniqve servitii imperfectione carentem, reponamus, felicissimâ manu expediri possit; Homines se esse ostendunt utriqve, qui tam levi causâ moventur & Bonis absqve necessitate cedunt. Imò quod *Hilarium* nostrum concernit, nisi ipsum excusat, quod *Bonaventura* l. 3. sent. dist. 16. scribit, ac si *Guilielmus Parisiensis*, librum in quo *Hilarius retractavit*, viderit, errori de simulata & putativa Christi redemptione damnatissimo implicatur ille. Si enim *Phantasia* fuit passio, inquit *Cyrillus Hierosolymitanus* serm. 4. catech. *Phantasia* quoq; fuit redemptio. Plura de vanis ejusmodi sollicitudinibus, quibus *Theodore* pariter & *Orthodoxi alii*, *Vigilio* l. 2. tradente, *Eutychen* timentes, Deum passum dicere noluerunt, cum tamen unam personam, quæ Deus sit & Homo, crediderint, ut & de controversia *Johannis Antiocheni* & *Cyrilli Alexandrini* gravissima, tandem verò per mutuas declarationes sopitâ, videri possunt apud *Chemnitium*, nunquam satis laudandum in lib. de duabus naturis cap. XV. circa finem f. 84. & loc. *Theol. part. 1. de filio ejusq; personali unione* f. 77. & seq.

XII. Diximus deinde Testatorem nostrum carne & morte suâ Veteri & Novæ paginæ fuisse notissimum. Nec sine reurget namqve, imò evincit hoc ipsum Objecti crediti Identitas, *Jesus Christus heri & hodie & idem in secula* Ebr. XIII, 8. Qui ubiqve in Veteri ac Novo Testamento, cum sua persona & officio bonisqve omnibus per mortem & obedientiam suam acqvirendis & acqviritis, unum idemqve fidei objectum fuit, quod, credentes, & ex ipsis tam docentes quam discentes, ex verbi promissione agnoverunt, agnitum desiderarunt, desideratum adprehenderunt, & cui adprehenso intimâ & arctissima unitione & fidu-

fiduciã adhæserunt. Hanc Fidei Identitatem & simplicitatem evidenter confirmat Christus dum Luc. XXIV. 27. ex Mose & Prophetis mellifluam suam de passione & exaltatione sua doctrinam in aures & corda discipulorum stillat. Nec minus ex Apostolis Petrus & Paulus fidem suam cum fide Patriarcharum & Prophetarum conformant. Ita enim ille, Act. XV, 11. *Per Gratiam Domini nostri Jesu Christi, credimus Nos salvos futuros, quemadmodum Patres nostri, & Paulus Act. XXVI, 22, 23. sanctè attestatur, quod de Deo & Christo nihil dicat nec doceat, extra vel supra ea, quæ Prophetæ & Moses futura prædixerint, quod nempe passurus fuerit Christus, quod primus ex resurrectione mortuorum lumen populo & gentibus sit adnunciaturus. Ubi particula ἐκτός & universalis Negativa omnem penitus excludit exceptionem ullius dogmatis de Christo à Paulo propositi, quod non identidem Moses & Prophetæ proposuerint, quemadmodum id pluribus Dn. D. Hülfemannus in Dialysi suã ἀδιαλύτως hucusque d. 17 p. 27. & 28. ostendit. Concludimus itaque: Si Christi passio & exaltatio à Mose & Prophetis prædicta & depicta est: Si fides nostra in Filium Dei credens & ex morte & obedientiã ipsius perfectissima nos salvos faciens cum patribus Veteris Testamenti una est: Si Paulus de Deo in carne patiente & moriente nihil quidquam, nisi à Mose & Prophetis dictum, dicit & docet; Utiqve Christus Filius DEI unigenitus cum carne & morte suã in Veteri & Novo Testamento, nec sacrae paginae, nec pia animæ ignotus esse potuit.*

XIII. Nec obstat, quod ad literam Mysteriorum hæc magis patuerint in Testamento Novo quàm Veteri. Nihil namqve inde objecto credito derogatur, Nihil, quod ad salutem sufficit, negatur subjecto credenti. Nec à de-

à defectu æqualis evidentia ad defectum evidentia suffici-
entis valet consequentia. Nec difficultas Facultatis ad-
prehensivæ in Testimoniis de Christo, Veteribus clarita-
rem objectivam tollit Nec ignorantia modi ignorantiam
simul rei importat. Quod & beatus noster Lutherus inten-
dit, dum in aureo suo Tractatu super Gen. III. 15. Promissionem
illam, quæ Messia Divinitas, Nativitas, Passio & Redemptio
continetur & obscurissimam & clarissimam dixit: Fuerit,
licet modus Incarnationis & Passionis obscurus; Res ipsa
tamen mansit clarissima. *Filium namq; DEI*, inquit Lu-
therus citato loco, oportuit victimam fieri, ut hæc nobis confi-
ceret, ut tolleret peccatum, devoraret mortem & amissam obe-
dientiam restitueret. Hos thesauros in Christo possidemus,
sed in spe. Sic Adam, sic Heva sic omnes credentes usq; ad
novissimum diem spe istâ vivunt & vincunt. Est quidem mors
horribilis & invictus Tyrannus, sed divina potentia ex
eo, quod est omnia, facit nihil, sicut et am ex eo, quod est nihil,
facit omnia Nam Adamum & Hevam vide. Sunt pleni peccatis
& morte & tamen quia audiunt promissionem de semine con-
trituro caput serpentis, sperant idem quod nos, quod scilicet
mors tolletur, peccatum abolebitur, & reddetur justitia, vita,
pax &c. In hæc spe vivunt & moriuntur parentes primi &
verè sunt propter hanc spem sancti & just. Et huc quoque
Augustinus T. IX. Operum Tract. in Joan. 45. p. 333. digitum
suum intendit, quando scribit: *Ante Adventum Domini no-*
stri Jesu Christi, quo humilis venit in carne, præcesserunt just,
sic in eum credentes futurum, quomodo nos credimus in eum,
qui venit. Tempora variata sunt, non fides: quia & ipsa
verba pro tempore variantur, cum variè declinantur; Alium
sonum habet, Venturus est, Alium sonum habet, Venit. Mu-
tatus est sonus, Venturus est & Venit; Eadem tamen fides u-
troq;

et eosq; conjungit & eos, qui venturum esse, & eos qui eum venisse crediderunt, & c. Et l. 10. Conf. c. 44. T. 1. operum p. 185. ait: *Verus ille est Mediator, qui cum mortalibus mortalis, cum DEO justus est, ut per justitiam conjunctam DEO evacuet mortem, & c. Hic demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipse per fidem futurae passionis ejus, sicut nos per fidem praeteritae salvi fierent.*

XIV. Sed tantum de Testamento Nostri TESTATORE, suis omni aetate notissimo. Nunc ad reliqua quoque membra, quae ad Testamenti veritatem sunt necessaria, & ex iis praecipuis HAEREDEM nobis considerandum sistunt. Est vero ille, ut iudiciis potius quam verbis loquamur, Homo peccator propter inobedientiam suam, nos omnes simul inquinantem, a Patre juste irato, juste exhaereditatus, sed tamen per Filii Dei seu Mediatoris intercessionem & satisfactionem perfectissimam ad hoc receptus iterum & restauratus, ut cum Haereditatis manus fidei avidissime extendat & indefesso studio Haereditatis bona & dona ambiat, accipiat, & arripiat sibi que ad proprietatem. Et ne quispiam fidem hinc sibi imaginetur mortuam solitariam. Omnique operum & virtutum exercitio destitutam, *Manus fidei ex Brentio in Apolog. Conf. Wirtemberg p. 319 notamus duplices, Unam sursum se extendentem & Christum cum omnibus suis beneficiis hereditariis adprehendentem. Et hac parte dicimus nos justificari per fidem. Alteram vero manum protendit deorsum, ad exercenda opera charitatis & reliqua virtutum officia. Et hac parte testificamur quidem veritatem fidei, non autem justificamur. Gratuita namque sunt bona, quae per fidem acquirimus, quae propter & Haereditati comparantur, ut Paulus Rom. IV, 16. inquit: *Ex fide datur hereditas, ut secundum Gratiam*
*firma**

firma sit promissio universo semini. Neque enim ex Merito proles patrimonium suum adipiscitur, cum V. G. Posthuma patri nulla adhuc manu inservire, nulloque ipsum opere demereri possit! Si verò proli genuinæ omnis meriti ratio denegatur, denegabitur multò magis ascitæ & adoptatæ. Nec opera nostra sive ut meritum, sive ut medium, sive alio considerentur titulo respondere possunt, precio hæreditatis inæstimabili; Nec eâ finis à Testatore exiguntur vel compensantur, quasi aliquid ad hæreditatem suam conferant, aut positam impleant conditionem, quod nunquam à nobis eo sensu ac modo fiet, quo DEUS præcipit & nos debemus. *Sola itaque Gratia Dei & Misericordia Jesu Christi regenuit nos in hereditatem immortalem & incontaminatam & immarcessibilem conservatam in celis erga nos, qui virtute Dei custodimur per fidem ad salutem, quæ in hoc parata est, ut in tempore patefiat supremo.* Pet. I, 3. 4. 5.

XV. Et ut paucis dicamus & hoc ipso BONA quoque Hæreditaria ex Testamento Christi patefaciamus, *Donum Dei*, s. ut Tertullianus de Resur. Carnis c. 47. reddidit, *Donativum est Vita eterna per Christum Jesum Dominum nostrum.* Rom. VI, 23. qui hanc hereditatem discipulis suis disposuit, Luc. XXII, 29. Nec Discipulis tantum sed Omnibus Christianis Communis illa est, inquit Aug. in Psal. 149. *Nec minuitur copia possessorum, nec fit angustior numerositate coheredum, sed tanta est multis, quanta paucis, tanta singulis, quanta omnibus.* Nec fructus donativi hujus prægusto suo saluberrimo in hac vita se nobis subtrahunt. Peccata namque condonantur, quia Christus pro peccatoribus intercedit. Et cæli de jure tantum conceditur latroni resipiscenti, quantum ipse non desiderat, Portæ aperiuntur ipsi, & ingressus eidem promittitur exoptatissimus, Futuri cæ-

licolæ

cola sub crucis regno congregantur; & in viâ hâc arctissi-
mo amoris vinculo consolidantur quasi. Desertio Christi,
Gratiam & Adstantiam Dei procurat nobis benignissi-
mam. Nec aliud quid *fitit* Dominus noster, quam fatie-
tatem nostram, & quidquid ille passione ac morte suâ
consummavit, id omne ad summam salutis nostræ perfe-
ctissimam donavit nobis, & animæ quoque suæ deposito
ad vitam aliam ac futuram nos præparavit & manudixit.
Hæc extrema Salvatoris nostri voluntas est, hæc ipsius
Dona & Bona saluberrima, quibus undecunqve infirmi-
tati nostræ prospexit.

XVI. Nec Donativo sive Testamento huic deest
SIGILLUM, Mors nempe Testatoris, quâ Testamentum
confirmatur, Eb. IX, 16. & mortis commemoratione simul-
q; fructum eius exhibentia signa Baptismus & S. Cœna R. 6.
1. Cor. XI. Nec TESTES desunt. Nam præter infallibile
spiritus Sancti Testimonium, quod calamo & $\gamma\epsilon\alpha\Phi\eta$ Ev-
angelistarum & Apostolorum $\theta\epsilon\omicron\omega\upsilon\epsilon\upsilon\varsigma\omega$ 2. Tim. III, 16. per-
hibuit, alios plures citare & cum *Arnobio* l. 1. contra *Genti-*
les Naturam ipsam de Deo illo in passione suâ ex parte testifican-
tem producere possumus. Cum precibus namque Christi
pro peccatoribus misturam faciunt suspiria peccatorum ar-
dentissima & ad conversionem ac remissionem obtinen-
dam devotissima. *Discinditur Velum & aperitur Calum,*
inquit Hieronymus. Imò dilaceratum est ideò velum, quod
quidquid sub velo latuit ante, & futuram Ecclesiam gra-
tiam & gloriam significavit olim, per mortem CHRISTI
nunc consummatum & ad vota piorum revelatum est. Ad
clamorem Domini *de sui desertione*, Terra movetur & con-
tremiscit, nec dubium est, quin motu suo saltasset simul &
tripudiasset quasi, si perpendisset, quod hæc ipsa DEI de-
sertio,

sertio, quã Christus loco bonoqve nostro afflictus est, salutis nostræ & divinæ adfistentiæ sic adsertio. Nec frustra cum Petris, *Petra salutis nostræ* 1. Cor. X, 4. scinditur, sanguis namqve & aqua effluit inde, ut non solum *sitim expleat* nostram & sarietate desideratissimã indigentia nostræ satisficiat, sed & gemino Aquæ & Coenæ sacramentalis Mysterio Sponsam & *Ecclesiam suam aedificet*, *cujus membra sunt corporis ejus, de carne ejus, de carne & de ossibus ejus* Eph. 5, 30. Et vitæ tandem futuræ, *cujus gratiã Christus spiritum suum in manus paternas deposuit*. Testes habemus vivos, sanctos nempe cum Christo ex apertis suis sepulchris ad vitam immortalem resurgentes, & coelos in gloriosa Domini ascensione ingredientibus suis nihil aliud fecerunt, quàm de passione Christi ejusqve Resurrectione & superatã morte testata sua reliquerunt.

XVII. Et hoc est, quod diximus, viã vix commodiore sacrum perlustrari posse Heptalogum, quàm Testamentariã, ubi & Testator & Heres, & Bona & sigillum, & Testes unanimi consensu de Mente Salvatoris nostri testantur. Nec aptius resignatur Testamentum cum suis codicillis, quàm si ad mentem & sensum Testatoris revocetur, ejusqve verba, ut sonant, examinentur. Quã fini & nos in Testamentario hoc nostro labore, ne rerum diversarum quasi torrente abripiamur, Fontem hunc ipsum designamus limpidissimum, ex quo venæ quasi totius nostri Tractatus ducentur & ad salutis nostræ Negocium dirigentur. Hoc enim unicè in Animo est Salvatori ac Testatori nostro laudatissimo. Et sive Nos respiciat ille, quod in verbis tribus prioribus præstat, sive se simul, ut in postremis Quatuor, nullam tamen aliam Nobis Testatur Mentem, quàm eam, quæ nostræ causæ & commodo est GRATIOSISSIMA,

C

MA,

MA, LIBERALISSIMA, OCCUPATISSIMA,
PATIENTISSIMA, APPETENTISSIMA, OB-
SEQVIOSISSIMA, GLORIOSISSIMA.

XVII. MENTEM Salvatoris nostri GRATI-
OSISSIMAM, *Primum* ejus testatur Verbum, quod juxta
Luc XXIII, 34. hunc in modum profert: Πάτερ, ἄφες αὐτοῖς
ὅτι οὐδὲν οἶδασιν τί ποιοῦσιν, h. e.

Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

XIX. Digna notatu sunt verba, quibus Epistola
ad Hebreos c. XII, 24. αἵματι παντομίᾳ i. e. sanguini adspersionis
hoc ipsum adscribit quod κρείττονα, i. e. meliora loquatur,
quàm sanguis Abel. Sicut enim per sanguinem adspersionis
nullus alius intelligitur quàm sanguis Christi sub
sanguine illo foederali Ex. XXIV, 8. praefiguratus, & in novo
Testamento ad peccatorum nostrorum remissionem ef-
fusus ac profusus, nobisque per fidem & sacramenta adpli-
catus & adspersus quasi, ut *Guilielmus Estius T. 2 in Ep. Paul.*
super hunc loc. p. 1073. commentatur: Ita quoque longè me-
liora ipsum loqui quàm sanguinem Abelis, vel ex primo hoc
Christi verbo patet ad oculos. Dum enim Abel ejusque
sanguis, ut reale divinae justitiae Testimonium, vindictam po-
stulat, Gen. IV, 10. Christi contra sanguis, ut Realissimum
Testimonium divinae gratiae & misericordiae (verba sunt *Glassii*
l. III, Phil. Sacr. T. 3. can. 16. p. 276.) Veniam petit, & juxta *Va-*
ricinium Isaiae LIII, 12. pro transgressoribus orat, ac inter-
cedit.

XX. Orat autem suspirio hoc suo primo Patrem
à quo ab aeterno erat natus Ps. II, 7. & in tempore ad hoc da-
tus, ut carnem nostram & adsumeret, & in adsumtâ carne
nos redimeret: Et sicut Pater ex intimâ suâ misericordiâ
hanc ipsam Filii sui Redemptionem laboriosissimam ab æ-
terno

terno decrevit, adprobavit & per futuram ipsius Passio-
nem & Mortem tantâ certitudine destinavit exsequutio-
ni, ut ipse quoque decreti hujus æterni intuitu *Agnus* dica-
tur *ab origine mundi occisus* Apoc. XIII, 8. Ita Salvator no-
ster nomine hoc paterno paterna ipsius viscera sollicitat,
& in memoriam quasi revocat illi, quod ex consilio & de-
creto hoc saluberrimo nunc in salutem humani generis
per dolores suos acerbissimos & mortem jamjam instan-
tem agendum erat. Ideoque *Patrem* adpellat, non De-
um, nec Dominum quia hæc causa non severitatem, re-
quirebat judicis, sed benignitatem Patris, nec scelerum im-
plorabat exterminium, sed viscerum patrocinium, filio
pro peccatoribus & patienti & supplicanti, & lacrimas &
sanguinem profundenti faventissimum.

XXI. *Remissionem* itaque orat, & quod summo
præprimis sacerdoti incumberebat, precibus suis intercessio-
riis instat ardentissimè, ut satisfactionem suam pro pecca-
tis nostris ad Rigorem justitiæ divinæ præstitam, absolu-
tio hominum actualis excipiat, & illi ab omni necessitate
Deo per seiplos satis faciendi, vel in peccatis patris ma-
nendi & moriendi atque æterna tandem supplicia patien-
di, eximantur, & in statum hunc promissæ benivolentiæ
restituantur, quo ipsis Media salutis & Merita Salvatoris
adprehendentibus, cælum cum omni immunitate pateat.
Et hoc est quod *Johannes & Paulus* de Christi intercessione
& satisfactione prædicant, dum ille I. Eph. II, 1. 2. inquit:
si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum
Christum justum, & in hæsiione & activa imputatione, quæ
nobis fit, tam per obedientiæ suæ acquisitionem quam
adplicationem ita dictum. Ipse enim est propitiatio pro pecca-
tis nostris non pro nostris antem tantum, sed etiam pro totius
C 2 mundi.

mundi. Et Paulus 2. Cor. V, 19. & 21. haut diversa scribit,
dum ait: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi non
inputans eis peccata ipsorum & posuit in nobis sermonem recon-
ciliationis, eum enim, qui non novit peccatum, pro nobis pecca-
tum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei per illum.*

XXII. Nec Græcum nobis oblat à *Quintus*, quod tan-
tum remissionem sive non imputationem peccatorum no-
tare videtur, quando verbi gratia usurpatur de condona-
tione debiti *Matth. XVIII, 27, & 32.* de remissione culpæ
& pœnæ *Act. 8, 22, & 24.* Nunquam enim remissio pecca-
torum sine justitiâ inputatur, Nec Dei justitia peccatis no-
stris offensa, si remissio vel non inputatio sola esset, salva
maneret illæsa. Sed ideò potius remittuntur peccata,
quia justitia Christi, quæ Rigori justitiæ divinæ satisfecit,
per fidem adprehensa præsens est, & merito suo abundan-
tissimè peccata tegit, *Ps. XXXII, 1.* Et hæc ipsa justitia coram
Dei judicio inputatur postea peccatori, per justitiam
nem, quæ necessariò cum remissione concurrit, quemad-
modum Paulus *Rom. IV, 6. 7. 8.* ex eodem Psalmo *beatitu-
dinem hominis* ex hoc prædicat, *quod ipsi à DEO inputatur
justitia & non inputatur peccatum.*

XXIII. Et remissionem hanc cum omnibus suis
privilegiis & beneficiis, à Christo in sua intercessione in-
tendi, nemo dubitat, qui ipsi Totum Redemptionis nego-
cium ad hoc commissum esse recogitat. Neque enim
intercessio hæc Christi, quod contra pessimam *Photinia-
norum* Hæresin notamus, redemptionis & satisfactionis ef-
ficaciam labefactat, sed extollit potius, & hoc ipso corro-
borat, quod vi passionis & sanguinis sui intervenientis o-
rat, & fructus salutis acqvisitæ distribuit. *Habemus enim
redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum in-
avit*

quic Paulus Col. I, 14. Nec petit Christus remissionem
ex inpotentiâ, ac si non posset ipse remittere, ut itidem
maledicta cohors ad divinitatis ejus destructionem urget;
ἐξουσίαν namq̄ve *Filius hominis habet in terra remittendi pec-*
cata. Marc. II, 10. sed ideò petit, ut publicè ostendat, Re-
missionis beneficium nullâ aliâ viâ conferri hominibus à
Patre, nisi satisfactione & intercessione suâ efficacissimâ.

XXIV. Quapropter & omnibus hominibus veni-
am & gratiam remissionis expetit, ut accuratè Dn. D. Ger-
hardus in *Harm. Pass. Evangel. c. c. 14. p. 661.* observat, cujus
verba in meliorem rei evidentiam adscribimus. Ita au-
tem ille: *Per αὐτοὺς intelliguntur milites crucifixo- res, qui per*
manus iniquas cruci eum adfigentes interemerunt, ut loquitur
Act. II, 23. Quia verò milites illi non crucifixisse Jesum, nisi à
Pilato Præside morti fuisset adjudicatus, ac vicissim, quia Pila-
tus nunquam crucifigendum tradidisset, nisi Judæorum clamo-
ribus coactus fuisset, ideò Christus non de iis solum loquitur, quo-
rum manibus crucifixus fuit, sed in genere orat pro gentilibus,
quorum jussu & manibus in crucem erat actus, ac pro Judæis,
quorum impulsu & consilio morti fuerat traditus. Quinimò,
cum nec Pilatus, nec Pontifices nec Milites crucifixo- res quic-
quam contra Christum potuissent, nisi propter peccata nostra,
divinitus ipsis permissum fuisset; ideò de omnibus hominibus
rectè dicitur, quod Filium Dei crucifixerint. Unde Ebr. VI, 6.
de blasphemis, agnita veritatis abnegatoribus dicitur, quod
ἀνασταυρώσουσιν denuò crucifigant Filium Dei, quem scilicet peccatis
suis jam ante crucifixerant. Proinde hæc instentia ac supplica-
tio Christi ad omnes homines pertinet, sicut in vaticinio Pro-
phético de hæc intercessione in genere dicitur; pro transgresso-
ribus oravit Es. LIII, 12. ac junguntur ibidem hæc duo mem-
bra; ipse peccata multorum tulit & pro prævaricatoribus ro-
gavit.

gavit, ut intelligamus HANC SACERDOTALEM CHRISTI
INTERCESSIONEM ÆQUE LATE PATERE AC IPSIUS
MERITUM, quod pro omnibus omninò hominibus in Arâ
Crucis est præstitum. Et hanc ipsam satisfactionis & inter-
cessionis Christi Harmoniam Augustinus haut obscure ad-
probat, dum Tract. 31. in Joan Tom. IX. operum p. 254. hunc
in modum scribit: Illis petebat veniam, à quibus adhuc acci-
piebat injuriam. Non enim attendebat, quod ab iis morieba-
tur, sed quia pro eis moriebatur.

XXV. Contradicunt hîc equidem nobis Calviniani ac more & ore suo in meritum Christi universale in-
fensissimo pertinaciter urgent, quod in verbis hisce non
promiscuè pro omnibus hominibus, sed pro quibusdam
tantùm intercesserit. Et licet Henricus Bullingerus in comm.
Luc. c. 8 p. 135. preces Christi intercessorias de universo genere
mortalium, cum propter vaticinium Esaie, tum propter Pon-
tificatum Domini nostri catholicum intelligat, unde generalia
esse oportet, quæ in functione suâ sacerdotali facit. Johannes
tamen Calvinus in Harm scribit: Verisimile esse Christum pro
miserâ tantùm plebe orasse, quàm zelus inconsideratus, non
autem delibata impietas rapiebat. Nam ut de Scribis & Pha-
riseis nulla spes fuit residua, pro illis frustra orasset. Nam in
spiritum sanctum peccabant illi, quia conscientia suâ redargu-
ebantur Jesum esse Christum in Lege & Prophetis promissum,
quem tamen persequebantur. Et Amandus Polanus Tom. II.
Syntagm. Theol. l. 6. c. 18. p. 201. G. expressè dicit: Christus non
oravit pro reprobis, quibus sciebat certum exitium paratum,
quod & David denunciarat Psalm. LXIX, 23. & pro quibus se
non orare, ante Passionem testatus erat Joan. XVII, 9. Sed ora-
vit communiter pro iis, qui tunc hostes ejus erant, sive ex Ju-
deis, sive ex militibus gentilibus ex ignorantia peccantibus, quæ
postea

postea conversi fuere, quia Christus non frustra pro illis oravit,
ostendens se & victimam & pontificem esse. Idem Petrus
Ravanellus in part. 1. Bibliothec. Sacr. voce intercedere, p. 813.
adferit, quod objectum seu ii pro quibus Christus intercedit, sint
electi, non autem reprobi. Intercessio enim Christi, inquit, ad
solos electos pertinet Johan. XVII, 9. item Roman VIII, 33.
collato cum v. 32. atq; adeo ad eredentes Luc. XXII, 32. Johann.
XVII, 20. seu ad eos, qui per ipsum ad Deum accedunt fide & re-
suscipienda Ebr. VII, 25. Vide quoq; I. Joan. II, 1 Eb. IX, 24. Verum
enimvero tanta haec vix sunt, ut castrum veritatis fallant,
& confringant, quin vellent potius ac praecingant, & con-
tra hanc ipsam hostilitatem reddant tutissimum.

XXVI. Ut namque a fine ordiamur, quid quaesitum
magis propugnat satisfactionem & intercessionem Christi
universalem, quam illud, quod juxta I. Joan. II, 1. 2. Peccatores
Advocatum habeant apud Patrem Jesum Christum, qui est
ἱλασμός & propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris au-
tem tantum sed pro totius mundi. Habemus enim propo-
sitionem categoricam & universalem, si quis peccaverit,
Advocatum habemus, huic aequipollentem, omnes peccantes
habent Advocatum, quidquid contradicat Daniel Tossanus
Vol. II. Operum Theol. Com. in b. l. p. 637. 638. Habemus cla-
ram Evangelistae intentionem, iis v. 2. Christum ἱλασμόν
in memoriam revocantem, quos v. 1. a peccatis dehortatur.
Jam vero omnes homines a peccatis sunt deterrendi. Ha-
bemus ocularem totius mundi oppositionem factam iis,
qui in Nomen Filii Dei & credunt & credituri sunt. I. Epist. V,
13. Hos namque Johannes, secum intelligit, dum scribit:
Christus est propitiatio pro peccatis nostris. Et hisce oppo-
nit mundum, dum pergit, non pro nostris autem tantum, sed
etiam pro totius mundi. Hoc ipso itaque electos, eosque solos,
& qui-

Et quidem Phrasi scripturae inusitata, notari credet mens
fana?

*Qui monstra credunt omnia
Credant & haec Apelle.*

XXVII. *Tu* sit et quidem citato loco *Tossanus* ac si exspuere
quodammodo velit lutum ac sputum illud Calvinianorum
crassissimum, sed *sine efficaciam*. Dum enim *Christum pro*
peccatis totius mundi, quoad sufficientiam, propitiatorem esse
concedit, negat id iterum quoad efficientiam sive effica-
ciam, dum scribit: Quia vero plerique in mundo oblatam gra-
tiam respuunt; scriptura ipsa effectum & vim propitiationis
ad credentes sive ad Electos adstringit. Si enim quaerendus
porro Tossanus esset, cur plerique in mundo oblatam gratiam
respuant, cur alii credant, alii non credant? Sine mora ad
Decretum Calvinianum recurret, & seipsum ceu sorex
prodet, dum Thesi 40. p. 642. hoc ideo fieri dicit, quod Deo pla-
cuerit, aliis nempe electis dare fidem, aliis non: In aliis mise-
ricordiam, in aliis justitiam & iram demonstrare. Sicut enim
hoc sensu gratia & media ad salutem sufficientia homini-
bus nonnullis ex mero Dei placito denegantur: Ita quo-
que sufficientia Meriti Christi ad omnium hominum re-
demtionem, manifestò impugnatur, & defectus efficien-
tiae sive inefficacia Deo potius aliter volenti, fidemque non
conferenti, quam homini, motus gratiae rejicienti, inpu-
tatur. Quod ipsum Nostrates jam olim blasphemiae ac-
cusarunt. Nec immeritò. Est & manet enim ex Dei fa-
vore & rei valore Meritum Christi ad omnium omnino
hominum redemptionem sufficientissimum. Et sicut per
hoc ipsum omnibus hominibus à Deo salus & vita est de-
stinata, ita & omnibus à Christo est acquisita, tantoque la-
bore & fervore redintegrata, ut licet in apprehensionis vel
adpli-

adplicationis negotio propter hominum incredulorum
malitiam, effectu hoc suo salutifero non semper potatur,
nihil tamen inde sufficientiæ & intentioni ipsius derogari
possit, quemadmodum idem de Evangelio Christi crucifixi
scribit Apostolus 2. Cor. 2, 15, 16. *Quod sit Christi bona fragran-*
tia Deo, id est, quod Deo per Christum, instar sacrificii
Deo suaveolentis sit gratum, *in iis, qui salvi fiunt, & in iis, qui*
pereunt, his quidem odor mortis ad mortem, illis verò odor vi-
te ad vitam. Ubi Dn. D. Ægidius Hunnius T. IV. Operum
Com. in b l p. 296. accuratè observat, quod non ex Dei decreto
aliquo, eoq; ut Calviniani sceleratè scriptitant, absoluto, prædi-
catum verbum in exitium aliquibus cedere sit necesse, sed pro-
pter illorum contumaciam & præfractam inobedientiam eis in-
perniciem predicetur; adeoq; vitium non in verbo, sed in au-
dientium perversitate resideat. Sitq; nihilominus unum idemq;
verbum, quod & his & illis predicatur, licet ob diversitatem
subjectorum dispares adeò sortiatur effectus.

X X V I I I. Vano quoque & inani labore Cal-
viniani pro intercessionem Christi particulari d. Et nonnul-
la urgent, in quibus non solum Apostolus Rom. VIII, 32. &
33. Ebr. VII, 25, IX 24. *Electis & Piis per Christum ad Deum ac-*
cedentibus interpellationem specialem promisit, sed &
Christus ipse Joh. XVII, 9, 20. *Mundum*, id est, impios ex-
oratione sua exclusit, & e contra causam suorum votis ar-
dentissimis patri suo commendavit. Nec enim modos
nec gradus ignoramus diversos, quibus Salvator noster
pro hominibus intercedens, quandoque universam mun-
dum complectitur, quandoque verò ad speciem descendit,
& familiarissimæ conversationis vinculo intercedente,
familiarius nunc orat pro fidelibus, nunc pro Apostolis,
nunc pro ipso Petro, *ne fides ipsius deficiat, id est, ne tantum*

D

per-

permittatur Diabolo; ut fides periclitetur. Tertull. de Fugâ in Persequut. c. 2. vel ut Chrysostomus homil. 83. in Mattb. clarius se explicat, ut non prorsus sive finaliter pereat, ὥστε μὴ τέλειον ἀπολείδῃ Luc. XXII, 32. Alio modo orat pro piis, alio pro impiis. Pro piis orat, ut in bono persistant. Pro impiis, ut à male desistant. Pro piis orat, ut in fide conseruentur; Pro impiis, ut ad fidem convertantur. Pro piis orat ut vincant; Pro impiis ut vivant. Pro piis ut coronentur; pro impiis ne condemnentur.

XXIX. Nec enim Sacerdos solùm est & Pontifex Novi Testamenti summus, qui sicut seipsum crucis in arâ pro totius mundi peccatis Patri suo victimam obtulit, & per sanguinem suum proprium nobis æternæ morti obnoxii, æternam λύτρωσιν ac redemptionem invenit & acquisivit Eb. IX, 12. Ita quoque intercessionis suæ sacerdotalis specimen pro peccatoribus edidit, humanamque salutem votis ardentissimis Deo commendavit. Sed & officio simul fungitur Pastoritio ac Prophetico, quod ut ovibus credentibus & sequentibus præprimis favet, ita & preces aliasve curas non denegat ipsis, sed labore potius familiarissimo salutem ipsorum invigilat, quùm e contra reluctantes & inpenitentes, suamque curam negligentes & malitiosè inludentes, quales apud Johannem per mundum intelligebat, justè accuset, puniat, deserat, obduret, id est, obdura-ri permittat, & dirissimâ execratione terreat. Quod ex- cidium sub persona Christi patientis David in Ps. LXIX, v. 24. & seq. Judaicæ Genti, propter obstinatum ipsius cæcitatem & perversitatem minatus & vaticinatus est, ut ad eò Polanus intercessionem Christi universalem expugnaturus tramite hoc frustra nitatur.

XXX. Esto namque; Minetur vel potius vaticinetur Christus Judæis præ fractis hanc poenam, hoc exterminium,

minium, vel ut *Petrus i. Epist. II, 23.* refert *vindictam ei tradat, qui iudicat justè.* Ergone adfectus ipsius misericordiae & dilectionis sincerissimus, quo omnes omninò homines amplexus est, & peccatoribus intercessit, hoc ipso labefactatur? Minimè verò. Aliud namqve Dei clementia intendit, dum infucato suo amore inbecillitati nostræ communi succurrit, præcurrit, & in viâ salutis, sufficientissimâ Christi satisfactione & intercessione nos præmunit; Aliud verò justitia, dum rigore suo pertinaciam punit, & impœnitentes ac malitioso conatu Gratiae divinæ reluctantes excludit tandem, & perditioni tradit. Illa ex precibus Christi, quas in cruce pro nobis edidit, largiter elucet; Quod verò postea & Judæi præfracti aliiq; increduli aut infideles, quorum obstinaciam Christus non sine suspiriis & lacrumis prævidit, *se ipsos recuperat à gratiâ judicarunt indignos*, ut Apostolus ait *Act. XIII, 46*, adeoqve justâ Dei poena & vindicta se onerarunt. Quid culpæ quæso amori inde imputabitur Christi erga omnes homines sincerissimo? Quid precibus suis derogabitur pro omnibus omninò hominibus conceptis?

XXXI. Paucis! oravit pro omnibus ut Sacerdos, pro ovibus verò ut Pastor, & licet in passione sua pro mundo non eo oraverit modo, quo ante passionem oravit pro suis, Doctrinam vitæ, id est, Evangelium docentibus & suscipientibus, ut nempe *in agnitâ veritate & concordî unanimitate conserventur* *Johan. XVII, 11. 17. 21. 22.* ut sint cum Christo & videant claritatem suam *v. 24.* Oravit tamen pro veritatis agnitione, pro malorum conversione, pro peccatorum remissione: Et quid plura? Oravit ut omnes homines à necessitate illa exitiabili Deo per se ipsos aut satisfaciendi, aut in peccatis patris manendi & moriendi,

atque æterna tandem supplicia patiendi per passionem & satisfactionem suam nunc perfectissimè præstitam eximantur, & in statum hunc gratiæ & benevolentiae divinæ restituantur, quæ ipsis & inter hos etiam hostibus suis infensissimis, non solum vires ad poenitentiam veram sufficienter concedantur, sed & poenitentiam agentibus, media salutis agnoscantibus, & merita Salvatoris verâ fide apprehendentibus, peccata remittantur, justitia Dei adplicetur & coelum cum omni immunitate pateat. Et hæc extrema Salvatoris nostri intercessio, sicuti voluntati divinæ omnium hominum salutem seriò desideranti, est conformis, & ex merito satisfactionis suæ promanat perfectissimo; Ita quoque sine omni dubio exaudita fuit, quod vel excidii Hierosolymitani poena ad XL. annos Judæis ad poenitentiam dilata, vel culpa quoque persecutoribus remissa ad oculum comprobatur satis, dum fructum intercessionis hujus ostendit saluberrimum in *Centurione ac Militibus Romanis*, Christum ut *hominem justum & Filium Dei* agnoscantibus *Matth. XXVII, 54. Marc. XV, 39. Luc. XXIII, 47. & 48.* ubi pariter cum Centurione converso conjunguntur *spectatores* Judæi *percutus suum ex poenitentiam percutientes*, & in sequente *Pentecostes Festo* juxta *Act. II, 37. & 42.* ad *Ter millia* doctrinæ evangelicæ se submittentem. Qui numerus postea in *quing. millia* excrevit *Act. IV, 4. & juxta Act. VI, 7.* Turba quoque *Sacerdotum*, *Fidei obediens* factus est auctior. Ut epistola ad *Ebreos c. V. 7.* clarè attestatur, dum scribit, quod *Sacerdos & Pontifex noster Christus Jesus & preces & supplicationes apud illum, qui poterat ipsum à morte servare, cum clamore valido & lacrimis obtulerit & exauditus fuerit.*

XXXII. Guido de Perpiniano, *Carmelita*, in *Quatuor Uno* super *Luc. XXIII, 34. p. 998.* hanc quæstionem; *Num hæc Oratio Christi*

Christi à Patre exaudita fuerit? hunc in modum evolvit & resolvit: Quod quantum ad id, quod orando voluit, simpliciter & absolutè voluntate beneplaciti, exauditus sit pro suâ reverentiâ & pietate quam erga Deum habuit Ebr. V, 7. Quia nihil orando simpliciter voluerit & absolutè, nisi quod sciverit, voluntati divina beneplacitum & acceptum. Nunc verò acceptum divina voluntati est, non solum hoc, ut Gvidone, recensente verè pœnitentibus & his, qui per fidem & veram pœnitentiam ad Deum se convertunt, peccata dimittantur Joel II, 13. sed etiam illud ipsum ut propter meritum Christi universale omnibus omninò hominibus media salutis aperiantur, & vires ad conversionem, id est, pœnitentiam ac fidem sufficientes concedantur, omnesque à necessitate illâ satisfactoriâ aut damnatoriâ, absolvantur & eximantur. Hoc enim bonum est inquit Paulus I. Tim. II, 3. 4. 5. 6. & acceptum coram Servatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis, id est, ad fidem venire. Unus enim Deus est, unus etiam Mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit semetipsum precium redemptionis pro omnibus, ut esset Testimonium temporibus suis. Quapropter manifestò liquet, quod Christus & pro omnibus oraverit, & in his omnibus exauditus fuerit. Nec obstat maximæ partis damnatio. Ipsi enim homines in mora, ipsi in culpâ. Christus quidem, quod prædictò modo petit, inpetravit, & per Evangelium in universo terrarum orbe prædicatum ex singulari Dei benivolentiâ indigentia humanæ, tantum gratiæ confertur, quantum ad regenerationem sufficit: Quod verò non omnes homines regenerantur, quodve peccatorum remissionem non adipiscuntur omnes, id ipsorum negligentia & contumacia est adscribendum. Perditio tua est, ô Israel, sed in me auxilium tuum inquit Jehova

hova Hof. XIII, 9. id est ut R. Kinchi R. Salomo Jarchi hæc
verba ponunt & exponunt, *Perdidit te, Israel, hoc ipsum,*
quod in me, in auxilium tuum scil. rebellasti, id est, quod nolui-
sti Matth. XXIII, 37.

XXXIII. Sed ad ignorantiam tandem, quâ Chri-
stus ipse pro peccatoribus intercedens, offensam ipsorum
gravissimam minuit quasi & extenuat, dum dicit: *Pater*
dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt. De ignorantia
scribit Tertullianus in c. 1. *Apolegetici sui, quod iniquitatem,*
dum excusat, condemnet. Ubi incidenter ex commentario
Desiderii Heraldi p. 5. errorem notamus *Baptiste Egnatii, quo*
inter opera Tertulliani sibi cognita, numeravit librum de
ignorantia in Christo Jesu, & sine dubio hoc ipso deceptus
fuit, quod in M. S. quodam inscriptiones capitum apologe-
tici viderit, ex quibus c. I. de ignorantia fuit insignitum,
quia de ea præcipuè totò hoc capite agit atque tanquam de causâ
primariâ vexationum, quibus Christiani premebantur, quum
Gentes, quænam esset eorum doctrina, pietas & disciplina, igno-
rarent, nec domesticis judiciis persuasi, doceri se paterentur.
Huic inscriptioni ab alio postea religionis causa adjectum
fuit, *IN CHRISTO JESU*, quemadmodum librarii olim
tò incipit feliciter, & similia boni auspicii atque ominis er-
gò præfigere solebant. Quum itaque Egnatius utrumque
hoc, & titulum & votum conjunctim viderit, opus Ter-
tulliani *de ignorantia in Christo Jesu*, peculiare se habere
putavit. Sed sufficiat hæc ipsa attigisse tantum. Nos ad
caput iterum, quo Tertullianus Romanorum ignorantiam,
exinde suggillat, quod *dum excusare videtur iniquita-*
tem, oneret magis & revincat. Quid enim iniquius, inquit
laudatus Pater, quàm ut oderint homines quod ignorant, eti-
am si res meretur odium. Tunc etenim meretur, cum cogno-
scitur

scitur an mereatur. Vacante enim meriti notitiâ, unde
odii justitia defenditur? quæ non de eventu, sed de conscientia
probanda est. Cùm ergò propterea oderint homines, quia
ignorant, quæ vale sit quod oderunt, cur non liceat ejusmodi illud
esse, quod non debeant odisse. Ita utrusq; ex alterutro redar-
guimus, & ignorare illos dum oderunt, & injustè odisse dum
ignorant. Et sceleris hujus nefandi injuriam Christus
ipse à Judæis & Romanis satis superq; experiens. Ecce
causam persecucionis suæ maximam summo cum jure,
& justitiæ suæ rigore & fervore detestari & æternam adi-
gnominiam execrari potuisset. Sed quantum mutatus ab
illo! Flagellis castus est inquit Bernb. Serm. fer. 4. Hebdom.
major. spinis coronatus, clavis confossus, adfixus patibulo, op-
probriis saturatus. Omnium tamen dolorum immemor: Igno-
sce ait illis. Hinc multa miseriæ corporis, hinc multa miseriæ
cordis. Mira res. Illa clamat ignosce, Judæi crucifige. Quo-
modo potabis Domine desiderantes de torrente voluptatis tuæ,
qui sic perfundis crucifigentes te, oleo misericordiæ tuæ? Sva-
vissimum namque hoc oleum est, quod ex ore & corde
Domini in peccatores & persecutores suos infensissi-
mos fluit, dum accusat, quos excusare debuisset, Vitam
procurat iis, à quibus occiditur inquit Anselmus. Et cum
juxta Arnoldum Carnotensem in Tract. de 7. verbis, Judæi in
hoc nitantur, ut damnentur, & accusentur, ipse Dominus
noster Gratiostissimus, ut salventur & excusentur, laborat.
Non fulmine eos, quo digni erant, percussit, inquit Philippus
Bosquier de Consol. Desperantium; Non terra hiatu absorpsit,
sed hæc omnia indulgit, Patremq; ut ignosceret, rogavit, cujus
jam fortassis fulmen, quo erant perdendi preparatum vidit.
Et quod admirabilius inmanissimorum hominum scelera excu-
savit, eosq; per ignorantiam peccasse, adfirmavit. Nesciunt,
dixit,

dixit, quid faciunt. Tantus scilicet est amor, cuius adfectum Christus jam moriturus in se ipso commori simul hauri poterat, ut etiam in excessu peccatorum summo, accessum peccatori ad Patrem eiusque gratiam aperiat, & persequutionis fontem, ignorantiam nempe, quæ iniquitatem dum excusat, condemnat, eò per intercessionem suam inauditatem explicet, ut, dum condemnare debeat, excuset.

XXXIV. Sed quænam, inquires, hæc ignorantia, quænam excusatio? De ignorantia hostium, quam Christus pro iis interpellans Patri proponit. Interpretes & Doctores variant, & Christum à Judæis, præsertim verò Pontificibus & senioribus Deum & Messiam à Deo promissum agnitum fuisse modo affirmant, modo negant. Nec argumenta desunt utrisque. Priores ex quibus *Dn. D. Gerhardus* in sæpiùs citato *Harmonia* loco p. 669. speciatim *Originem, Bedam, Eutbymium & Lyrannum* nominat, tum ad verba Nicodemi provocant, quibus ipse *Johan. III, 2.* fatetur, quod cum suis complicibus Pharisaïs nempe sciat, *Jesum à Deo venisse Magistrum*, tum ad verba ipsius Christi, quibus contra Adversarios suos hoc itidem urget, quod ipsum sciant, & unde sit noscant *Joh. VII, 28.* quod propter opera visa sint inexcusabiles *Joh. XV, 24.* Quod *Filium & Herodem videntes occidant Matth. XXI, 38.* Qui verò cum posterioribus pro negativa pugnant in sententia suâ, tum ex Christi intercessione, tum ex attestato *Petri ac Pauli* non parum confirmantur. Ita enim ille *Act. III, 17.* Judæos, postquam ipsis Passionem Christi cruentam in memoriam revocaverit, adfatur: *Scio fratres, quod per ignorantiam id feceritis, sicut & Principes Vestri, Et Paulus* exp. esse *I. C. 2, 7. 8.* scribit, quod *Nemo Principum seculi, sapientiam Dei, ante seculum*

secula à Deo in gloriam nostram præstitam, cognoverit, si enim
cognovissent, ait, haudquæquam Dominum gloriæ crucifixissent.
Et hi posteriores nostro iudicio propius ad veritatem ac-
cedunt, quæquam conciliari cum illis possint, si dicamus
Pharisæorum quosdam agnovisse quidem in Jesu Naza-
reno, non solum aliquid singulare & divinum, sed ex tem-
poris & miraculorum circumstantia etiam Messia officium
ei competens: At hanc cognitionem impetitam & impu-
gnatam fuisse ab odio & conceptibus de temporali regi-
mine Messia, nec modum, quo consumari debebat redem-
tio ab iis fuisse attentum, sed alium eumque adulterinum
fuisse in mente eorum substitutum. Quidquid igitur ex
Nicodemi & consortium suorum scientiâ & notitiâ,
quam de Christo habuerunt & Christus ipse inexcusabili-
tatis postea accusavit, urgeant, hoc solum obtinuerunt:
Notitiam illam fuisse raram, imperfectam & variis erro-
neisque infirmitatibus subjectissimam. Nec id ex culpâ
verbi revelantis, quod ad hoc sufficiebat, ut & Messia per-
sonam ac officium futurum ostenderet, & Jesum hunc
ipsum esse vinceret, cui & opera Christi accedebant mira-
culosissima, quibus se ipsum, quod nullus Prophetarum ad-
huc fecerat, Messiam promissum esse & Re, & Ore profi-
tebatur: Sed mentis agnoscentis cæcitas tanta erat inter
Judæos & Pharisæos, ut *domesticis suis iudiciis*, quemadmo-
dum *Tertullianus c. I. Apolog.* cæcitatem Gentilium descri-
bit, præoccupati nec noscere ipsum, nec credere in ipsum
voluerint. *Cæcitas ex parte accedit Israeli*, inquit Paulus
Rom XI, 25. & *Dn D. Joan. Contr. Dannenbawero Act. I. Deum*
Opt. Sacr. Theatr. 1. Phœn. 3. lit. (1) accuratè notante, sine du-
bio ad cæcitatem, tum ex oraculorum divinorum obscu-
ratione & perversâ expositione, tum ex velaminis obje-
ctio-

E

ctio-

ctione. & petulante obduratione, tùm ex mentis per falsa principia fascinatione, tùm ex Messia mundani & liberationis politicæ expectatione, tùm ex justitiæ propriæ legalis & externæ imaginatione à Judæis ipsorumq; Principibus adscitam & proprio ausu ac nisu contractam respicit. Quæ omnia tanti momenti sunt, ut manifestò refellant, quæ supra 9. 19. ex Calvino adduximus, ubi Christum pro Scribis & Pharissæis intercessisse, ex hoc fundamento negavit. *quod in Spiritum Sanctum peccarint illi, & Jesum, quem in conscientia suâ redarguti Christum in Lege & Prophetis promissum esse sciverunt, deliberatâ impietate pers. qvuti fuerint.*

XXXV. Ut enim peccatum in Spiritum sanctum ejusque officium committatur, communi Doctorum nostrorum consensu necesse est, ut 1. veritatis agnitio sit certa, evidens, certoque & evidenter in conscientia adprobata, & interno Spiritus Sancti Testimonio convicta Ebr. VI, 4, 5, 6. ut 2. non ex infirmitate carnis, nec ex metu periculi vel alius adparentis commodi & boni gratiâ, sed per meram petulantiam ac destinatam obstinatamque malitiam deseratur, abnegetur, inpugnetur & blasphemetur Ebr. X, 26. Nec absolum 3. est, quod & magnæ æstimationis Viri cum *Augustino*, sed à parte peccatoris potius quàm peccati, ad finalem inpenitentiam & perseverantiam provocent, & hominem peccati hujus in Spiritum Sanctum, non nisi à posteriori & ex vitæ clausulâ accusare conentur. Hisce præsuppositis Judæi quidem & præpripriis Pharissæi ipsorumque principes Christum obstinatâ suâ cæcitate & levitate blasphemantes & persequentes in Spiritum sanctum & gratiosum ipsius officium satis contumeliosi esse videntur, sed tamen strictè loquendo & circumstantias allegatas observando non omnes promiscuè pec-

catum in Spiritum sanctum propriè ita dictum commiscerunt, quod & Christus ipse *Matth. XII, 31. Marc. III, 29.* comminatione suâ gravissimâ non parùm testatur, dum *Dn. D. Lysero* in *continuat. Harm Chemnit. c. 59.* monente, Hostium quoque horum acerbissimorum eternam salutem in hac tantâ cordis obstinatione ex animo querit, & de peccato in Spiritum sanctum eâ fini differit, ut illis peccati sui atrocitatem ob oculos statuat, atque simul, nî respiscant, æternas damnationis pœnas denunciât. Quam resipiscentiæ conditionem requirere haut potuisset, si Pharisei strictè & propriè loquendi in Spiritum sanctum peccassent. Tunc enim nulla Pœnitentia, nullave Remissio sed potius monitum *Johannis* obtinuisset locum, quod *Ep. V, 16.* hunc in modum scribit: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roges. Et dignum hic notatu est, quod jam laudatus Dn. D. Lyser. inc. 110. Harm. membr. 2. p. 2051. ad Luc. XII, 10.* ubi similiter de peccato in Spiritum sanctum agitur, observat. Quod nempe convitium in Spiritum sanctum intelligendum sit non de quovis gravi & magno peccato, sed de tali peccato, ubi quis post naturalem illam ignorantiam Christi & viâ ad salutem, ex gratiâ, virtute Spiritus sancti, per ministerium vocatus est ad cœtum Sancto-
rum, verâ fide inluminatus & sanctificatus, sed postea sciens atque volens ab illâ gratiâ deficit, Dei misericordiam aspernatur, meritum Christi quasi pedibus conculcat, & in finali inpœnitentia contra Deum ac manifestatam veritatem perseverat. Nam loquitur, pergit *Lyserus*, Christus hic de AMICIS SUIS, id est, non de illis qui loquuti sunt dictum convitatorium in Filium Hominis Jesum Christum, à DEO ad salutem hominum in carnem humanam missum. Qualiter fecit *Paulus* ante suam conversionem *1. Tim. 1, 13.* & alii. Sed qui amici Christi facti bonitatem ejus semel degustarunt, & donis Spi-
ritus

ritus Sancti participes redditi, postea à fide deficiunt, Apostata-
atq; Mammeluci, ut vocant facti, id quod prius professi fue-
rant, postea rejiciunt, condemnant, conviciantur, blasphemant.
Hi rursus sibi crucifigunt Filium & ostentui habent, neq; ad pœ-
nitentiam revertuntur. Jam verò subsumimus dicimusq;,
quod Judæi ipsorumq; Præpositi Pharisei, Christum cru-
cifigentes, Amici Christi non fuerint, sed potius inimici
& hostes ipsius infensissimi. Largiter eq;idem & suffi-
cientissimè Gratiam & Amicitiam suam obferbat illis, sed
nemo hanc ipsam colebat, nemo appetebat, nemo con-
trahebat. Lux illa vera, quæ inluminat omnem hominem, ve-
niebat quidem in mundum, in mundo erat, & mundus per ipsū
factus est, sed mundus ipsum non cognovit; In sua venit, & sui
ipsum non receperunt inquit Joh. 1, 9. 10. 11. Solida itaq;e
inter Nebulones hosce non elucescit agnitio veritatis, sed
ex obduratâ ipsorum cæcitate justa negatur veritatis ad-
probatio. Sancto Spiritui non præbetur hîc solidus ad-
sensus, nec ad Testimonium ipsius aures & corda patent.
Nulla hîc vera fides, nullus erga Christum serius amor un-
quam se exeruit. Recuperatorem sperabant ac spirabant
secularem, & desiderio hoc terrenorum futili ac inutili
planè occupati spernebant cælestia & sic salutem Salvato-
remq;e suum sub salutis specie detestandâ malitiæ igno-
rantia prosternebant. Num itaq;e rebus sic stantibus, &
circumstantiis, suprâ, nî fallimur, haut perperam addu-
ctis se ita habentibus, adscribendum sit Hostibus hîsce
Christi id genus peccati, quod in Spiritum sanctum commit-
titur, & irremissibile est, Lectori benivolo | dijudicandum
relinquimus.

XXXVI. Nos interim, ut succinctius nos tandem
expediamus & in hostibus & crucifixoribus Christi, qui
juxta

juxta Simonem Cassianum, sciverunt, quod crucifigant, & quod veni-
crucifigant, ignorarunt. Ignorantia hujus diversitatem pau-
cissimis attingamus. Distingvimus inter ignorantiam
facti & juris, inter ignorantiam moraliter invincibilem &
absolutam, quæ homo ignorat ea, quæ scire quidem tene-
batur, nec tamen ex mediolorum sufficientium defectu hic
& nunc condiscere poterat, & vincibilem sive adfectatam,
quæ pro diverso mediolorum evidentium & sufficientium
neglectu, modò levior, modò gravior est, poenamque modò
graviolem, modò remissiolem incurrit. Ut maximè er-
gò quidam Gentium & Militum Romanorum ex ignoran-
tia facti eaque invincibili in Christum peccarint, dum ip-
sam crucifixerunt, quia media ad veram Messia cognitio-
nem adipiscendam immediatè sufficientia eo temporis
momento singulis non occurrebant, neque enim singuli
Christum in diebus conversationis suæ docentem, vel eti-
am apologiam suam coram iudicibus & Pilato dicentem
fortè audiverant. Longè tamen aliter se res habet, cum
ignorantiâ Judæorum, Pharisaorum, & illorum militum,
qui Christo apologiam dicenti adstiterant, de qua rectè
scribit Gabriel Alvarez T. 2. Com. in Es. 53. v. 12. n. 205. p. 842. Pec-
carunt Judæi quod id nesciant, quod scire, hoc est, credere debe-
rent, cum satis superque ejus rei veritas ipsis proposita esset & o-
stensa. Sufficientissimè namque ostendebatur illa in Pro-
phetarum vaticiniis, ipsorumque tum typis tum dictis, &
ipsius Christi Testimoniis ex doctrina & operibus ejusdem
clarissimis amplissimisque, Viresque hanc ipsam veri-
tatem amplectendi conferebantur largissimè: Nec ines-
fabiles rei bonique suavitates deerant tot compromissio-
nibus, tot visitationibus, tot salutationibus, tot invitatio-
nibus, tot compellationibus, sed quidquid divina gracia

plusquam mellitis verborum globulis ad salutem humanam redintegrandam tentabat, id omne ignorantia Judæorum & Phariseorum adfectata & vincibilis, id est, vana Mesia mundani persuasio, cæca spei frustratæ irritatio, obstinata verbi prædicati neglectio & nefaria Christi exhibitæ contemptio perdebat & tantâ temeritate impugnabat, ut non solum Judæi cæco zelo turmatim contra Benefactorem suum convenirent, sed & Pharisei cruentis suis consiliis facinori huic facinora alia & detestanda adderent, his ipsis Benefactorem suum laudatissimum ad crucem traherent tandem, & religionis intemeratæ prætextu summa cum ignominia & injuria occiderent.

X X X V I I. Et cæcitatem hanc execrabilem ac ignorantiam pariter finis à Deo in hac traditione intenti Christus crucifixus inter Hostes & Persequutores suos videns, misericordiâ potiùs tangitur, quam iracundiâ, & ex intima viscerum suorum commotione Patrem suum, lacrimis & suspiriis ardentissimis orat, ut *dimittat* & condonet, id est, ne imputet iis cæcas hæc transgressiones, sed reputet potius, quid ipse jam loco bonoqve ipsorum fecerit, quidve præstiterit. Et ut hostium tam causam suorum, quam communem nostram miseriam gratiæ paternæ feliciori successu insinuet, Hanc ipsam ignorantiam excusationis vice prætextit & inquit: *Pater dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt*, quasi dicat, ut cum Bernharde loquamur: *Ideo ignosco illis, quia non agnoscor ab illis*, vel ut Augustinus accuratè rem exprimit: *Ego Mi Pater, egros curare veni, quod me non agnoscant, febris inmanitas facit*, Hæc cum malignitate suâ, non solum latet in nonnullis, sed etiam pater, & in aliis urit tantum ac æstu pravæ cupiditatis vires fidei quandoqve fatigat, quandoqve penitus efficit,

ficcat, & exsugit; in aliis verò furit & rabie pestilentissimâ
contra Me & Medicinam meam saluberrimam flagrat &
insanit, rotumque furoris sui ignem in me convertit. Huic
insaniæ, incendio huic cæco, Pater mi, inquit Christus,
Ignosce, quia nesciunt, quid faciunt. Ex errore & fervore
peccant inconsiderato, & hoc ipso fascinati, nec culpam
suam atrocissimam æstimant rectè, nec quid fecerint,
quidve promeriti fuerint, recogitant. *Ignosce* itaque iis
Pater mi, & *Remitte* à rigore hoc justitiæ tuæ strictissimo,
quo & ipsi pro peccatis aut satisfacere aut in peccatis æter-
num manere & mori tenentur. *Admitte* eos ad Gratiam tuæ
Thronum, & ex divitiis ejusdem ineffabilibus tantum iis
concede, ut cœcitatem suam discant agnoscere, & *deserere*,
ac e contra *admittere* manuq; avidissimâ adprehendere &
adplicare sibi, quod ego promerui & reliqui eis, quodve eos
ab *omni malo tum culpa, tum pœna*, & præprimis æternæ im-
munes reddat & exemptos. Ita enim vocem à *Phipi* in diversis
Scripturæ locis accipi, facile reperiet, qui vel lewiter con-
cordantis uti noverit.

XXXVIII. Sed excusatne, inqvies hæc ignorantia
& incogitantia, quam Christus excusationis vice præten-
dit, & tantine momenti & valoris illa est, ut ex se pœnam
vel etiam culpam minuatur aut penitus tollat? Ad hoc pau-
cissimis respondemus & quidem quoad maximam Quæ-
stionis partem, Negative. Licet namque ignorantia in-
vincibili laborarint nonnulli ex Christi crucifixoribus, &
hoc ipso à gravitate culpæ quodammodo liberari & in
Tantum excusari possent. Nunquam tamen id fiet in *To-
tum* sive ipsius culpæ respectu, ut vel ipsissima Christi in-
tercessio ad oculos evincit, quæ frustranea fuisset, si igno-
rantia hæc sine culpa. Nec in tantum quoque delictum
ex

ex se & suâ naturâ excusare potest ignorantia juris vincibili-
lis & adfectata, s. illa leuior sit, s. gravior: quia quod scire po-
terat & debebat, neglexit, & despiciatui habuit, & hoc ipso
non solum culpæ seipsam arguit, sed quoque duplicat &
aggravat eandem, quemadmodum *Paulus* innuere videtur
dum *1. Cor. XIV, 38.* hunc in modum scribit: *Qui ignorat.*
ignoret, hoc est, qui nolit hæc scire & velit ignorare, suâ non
tantum ignoret culpâ, sed & damno ac detrimento, quo ut
Vulgata reddidit, ipse à Deo tandem *ignorabitur & improba-*
bitur, juxta *Augustinum Epist. 102.* Orat itaque Christus
pro ignorantibus suis persecutoribus, ipsorumque igno-
rantiam coram Patre excusationis vice præ tendit, non ut
excuset, aut propter hanc ignorantiam absolvat ipsos, sed
ut ex satisfactione suâ perfectissimâ, quâ Patri suo & pro
ignorantiâ & pro malitia hominum universorum præ-
stitit iisdem in tempore succurrat, & vi meriti sui excusati-
onem vel absolutionem potius tanquam sacrificii sui fru-
ctum impetret, eamque mediante *Fide* applicet, *Act X, 43.*
In qua excitandâ & ipsum precibus hæc intercessoriis la-
borasse, ex suprâ dictis neminem latere potest. Ad sum-
mum, si ignorantia peccati à Christo intercedente Patri
proposita præstitit aliquid; solâ id fecit distinctione & se-
paratione hostium suorum à peccato in Spiritum sanctum,
quæ ipsa separatio tamen à mortali peccato nec absolvit
nec excusat, sed occasionem tantum ad remissionem præ-
bet gratuitam, & Deo Patri ejusmodi sistit subjectum, cui
adhuc, per gratiam nempe oblatam & acceptam, acquisi-
tam & adplicatam, remitti possunt peccata patrata. Et
quid multa? si amor juxta *Petrum 1. Epist. IV, 8.* tantus est,
ut inter homines *Peccatorum multitudinem operiat* & pro-
ximo peccata beneyolè condonet, ut ex *Prov. X, 12.* Unde
hæc

hæc verba deprompta sunt, sensus hic innotescit: Quantus æstimandus erit Amor Domini nostri Jesu Christi pro Nobis & peccatis nostris crucifixi, causamqve nostram deperditam coram Patre agentis, & ideò quos publicè accusare debebat, excusantis, regentis & protegentis ac peccatis ipsorum atrocissimis, Gratiam & Remissionem conciliantis? Argumentum hoc est amoris ipsius ineffabilis quod religiosâ devotione potius miramur quàm rimamur.

XXXIX. Nec pia hæc Meditatio & Admiratio est sine fructu, Nemo enim *Augustino* monente, de Peccatò sui dimissione potest desperare, si veniam, quam hostes Christi impetrarunt in memoriam sibi revocat. Si namq, talis ille est crucifigentibus, qualis erit obsequentibus? si indulgentiam offert nolentibus; non negabit eam petentibus & pœnitentibus. Et quid quid præterea Salvatori nostro pro peccatoribus hoc modo intercedenti in corde & ore fuit, id omne ad sacerdotalem ipsius expeditionem collineat, & hanc ipsam in nobis excitat ac confirmat fiduciam, quam *Paulus Rom. VIII, 31. 34.* patheticè describit, dum inquit: Si DEUS pro nobis, & à nostris stat partibus, quis contra nos fuerit? Qui proprio Filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum, qui fieri potest, ut non quovq, cum eodem nobis omnia donet? Quis intentabit crimina adversus Electos DEI? DEUS est qui justificat. Quis condemnabit? Christus est qui mortuus est, imò qui & suscitatus est, qui etiam est ad dexteram Dei & intercedit pro nobis. Talem nempe habemus in Christo Sacerdotem, qui solus & unus est Mediator Dei & Hominum *1. Tim. II, 5.* qui Sacerdos est in æternum *Ps. CX, 5.* ac munere hoc salutifero non solum in tempore exinanitionis suæ perfectissimè pro nobis satisfaciendo & intercedendo

F

dendo

dendo functus est, sed virtute hujus sacrificii in Ara crucis pro nobis oblatus adhuc praestat, quod Sacerdotem adde-
cet, ut Epistola ad Ebr. c. VII, 24. 25. expressè scribit: *idem manet in aeternum, ac perpetuum habet Sacerdotium, unde & perfectè salvos facere potest, qui per ipsum ad eunt Deum, semper vivens ad hoc, ut interpellet pro nobis.*

XL. Nec Fidem solum intercessio hæc Christi corroborat, sed & exemplum præbet vitæ Christianæ illustrissimum, præbet tolerando injurias: Præbet easdem condonando. Quapropter haut silentio præterire possumus, quod Aloysius Novarinus in Lucâ expenso ad c. 23. sect. 2 p. 279. n. 771. notat, dum inquit: *In silentio pro occisoribus orare poterat Dominus, sed noluit, emisit vocem, ut ad nos transmitteretur exemplum, & illud præstaremus quod Christus præstitit.* Quodnam illud? Exemplum, inquam, vindictæ licitæ. Quod sanè elegantissimis verbis commendat Jerem. Drexelius in Rhetor. caelest l. 1. c. 12. § 3. T. 2. colon. p. 134. dum ita scribit: *Cruentam hanc trabem, suspice Christiane, En tuum hic gladium, en arcum tuum. Huic tu sagittas, inpone, & ejaculare; nunquam errabunt ille, omnia penetrabunt; Cor ipsum caelestis Patris reserabunt. Sed vide hunc tuum gladium ita stringas, hunc arcum tuum ita intendas, ut hostes tuos attingas & vulneres, sed prout suos Jacob, suos Christus attigit & vulneravit, Jacob pro Esau inimico, Christus pro crucifixoribus hostibus oravit. Hæc amantium sunt vulnera. Pater dimitte illis.* Hæc Drexelius, qui loco allegato, de insigni hoc charitatis Christianæ Exercitio plura adhuc consignavit. Nos in Heptalogo nostro pergimus & mentem Salvatoris nostri LIBERALISSIMAM quoque in Verbo Testamenti sui secundo investigamus.

XLI. Est namque & Hoc Testamentum calamo crucis

is conscriptum, ut Fulgentius Serm. N. 60. loquitur. Nec sine
Re. Oculis quippe Latronis mens liberalissimi nostri Sal-
vatoris in salutis nostræ negocio tantâ claritate patet, ut
non solum ipse poenitens & regni cœlestis beneficia inau-
ditâ fide expectens clementissimè audiatur, sed quoque
promissione hæc testamentaria exhilaretur, Ἀμὴν λέγω σοι,
σήμερον μετ' ἐμὲ ἔσῃ ἐν τῷ Παράδεισῳ. *Amen dico Tibi, hodie me-
cum eris in Paradiso.* Quemadmodum hæc ipsa ibidem
Lucas c. XXIII. v. 43. in perpetuam rei memoriam consi-
gnavit.

XLII. De Artaxerxe, Persarum Regè refert *Plu-
tarchus*, quod Macrochir sive *Longimanus* dictus fuerit, quia
non solum dexteram manum altera longiorem habuerit,
Zwinger. in Theatr. vol. 3. l. 3. p. 688. sed & eam quæ ad dan-
dum proclivior est, quàm ad accipiendum, magis regiam
duxerit. Talis Longimanus vel Largimanus est Rex no-
ster crucifixus, Jesus Christus, qui & laesus & nudus omniq;
cultu & honore exutus, largissimum ramen & liberalissi-
mum hominibus sese ostendit, nec dexteram solum præ
sinistra extendit, dum peccatorem poenitentem & suppli-
cantem respicit, & ad votum exaudit, sed quoque longè u-
berior Gratia ipsius est, quàm fuit precatio, ut *Ambrosius in
Psal. 118.* loquitur. Scelesto namque patent cœlestia, & à
ligno crucis maledicto, ad regnum lucis benedictum nutu
& ductu Salvatoris nostri faventissimo, latro adscendit.
Quemadmodum summam & ineffabilem hanc benivo-
lentiam & munificentiam Testatoris nostri vix pressius
considerare possumus, quàm si latronem cum Patrono
conferamus, ac in illius indignitatem huiusque benigni-
tatem piâ ac devotâ curiositate inquiramus.

XLIII. Sive enim latronem hunc nostrum cum O-
peri-

peribus suis, in sua transgressionis sive in conversionis statu examinemus, semper indignissimum ipsumprehendemus, æternâ hâc felicitate, opimisqve hisce gaudiis ac deliciis, quas ipsi Dominus noster infinitè largus concessit ac donavit. Quis laico noster in vita fuerit, & quæ ejus facinora, cognitu nobis haud est difficile, si vel justam crucis pœnam animadvertamus patratis sceleribus dignam, ut ipse Luc. XXIII, 41. confitetur, vel Evangelistis auscultemus, ex quibus Lucas noster ipsum & suum confortem κακός γαρ vocat comm. 33. quasi κακοέγγος, id est, facinorosos, maleficos, à quibus

in omne

— — —
Pastu quadrupedante Crimenitur.

quò & Matthæus ac Marcus respiciunt, dum ille c. XXVII, 38. hic verò c. XV, 27. eosdem ληστές, id est, prædones & raptores adpellant, qui ex Latrociniis sunt celebres, & ut Bernard de Past. c. 9 iplos depingit, omnis mali, nulliusq; boni sibi conscii, transgressores Legis, vitæ simul & substantiæ raptores aliena. Ex quibus Encomiis facile innotescit, quæ felicitatis Portio quæve Merces Latroni nostro debeat, in die iræ, quò patefiet justum Dei judicium, qui redditurus est unicuiq; juxta opera sua. His quidem, qui perseveranter in benefaciendo gloriam & honorem & immortalitatem quæerunt, vitæ æternam, iis verò qui sunt contentiosi, & qui obtemperant injustitiæ, ventura est indignatio & ira; Ad afflictio & anxietas, adversus omnem animam hominis malum perpetrantis, Rom. II, 9. Quale namque in hâc vitâ studium, tale futuræ præmium, ut Apostolus iterum scribit 2. Cor. V, 10. Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet unusquisq; ea, quæ sunt per corpus, juxta id quod fecit, sive Bonum sive Malum. Et judex futurus Apoc. XXII, 12. ipse inquit

Inquit: *Ecce venio citò & merces mea mecum est, ut reddam unicuique, ut opus illius erit.*

XLIV. Ubi incidenter notamus, quod promissa hæc compensatio hautquaquam eo accipienda sit sensu, ac si Bona opera Bona præmia promereri, vel alio modo gloriam essentialem (de hac enim non de gradibus gratiæ aut gloriæ loquimur hæc vice) consequi aut acquirere nobis possint. Nec enim operibus promittitur apud Apostolum compensatio, sed operantibus; Nec promittitur compensatio *διὰ τὰ ἔργα* propter opera. Ita enim notaretur meritum, sive dignitas, sive efficacia operum, sed *ὡς εἰς ἃ ἐπέαζεν*: ad ea quæ fecerit, sive *κατὰ τὰ ἔργα*, juxta opera, & hoc ipso nihil aliud insinuat, quam qualitas aut analogia præmii sive supplicii ad antecedentia opera, nihilque aliud determinatur, quam manifesta illa æquitatis regula, juxta quam Judex venturus *δικαιοκρατία* suam ut R. 2, 5. adpellatur, aliquando publicè sit exerciturus, & operata tanquam notoria candidatorum testimonia & necessaria fidei aut incredulitatis signa in omnium conspectu sit discussurus. Visibile namque hoc erit iudicium, Quapropter & fidei in cordis latentis & invisibilis, visibiles & parentes quoque producendi sunt testes, opera nempe quibus *lux fidei coram hominibus lucet*, Matth. V, 16. Exinde autem Operibus Bonis in salutis negotio vel causa vel meriti, vel medi vel alius conditionis confluentis respectum, adscribi posse omnino negamus. Aliter se res habet cum operibus malis, quæ futuram damnationem non testantur solum sed & operantur, idque propter Naturam & Rationem Bonorum & Malorum Operum diversissimam, quæ ad hæc quidem propter carentiam boni, & defectionem omnimodam adeoque nunquam excusabilem, Damnatio sequitur.

cur: quum e contra Bonis operibus, propter presentiam
mali continuam & perfectionem nullimodam, semperq; accu-
sabilem, salvatio jure negetur. Quod sine omni dubio in-
mente fuit Salvatori nostro, ex cujus arbitrio salus nostra
unicè pendet, quando causas, salutem & obtinentes & a-
mittentes in diverso moris genere constituit, & quidem cau-
sam salutis privativam sub genere actionis malæ, positivam
verò sub genere relationis, Fidei nempe in Christum dire-
ctæ, ut ita ex jure, & constituto hoc divino, Mali quidem
commissio & Boni omissio salutem deperdant, non tamen e con-
tra Boni commissio & mali omissio eandem inpetrent, sed sola fi-
dei apprehensio id præstet, & quidem vi correlati sui, in-
quod fertur, nempe Christi ejusque meriti ab homine
credente agniti, desiderati, adprehensi, & adpropriati. Nec
caret hæc diversa causarum institutio usu & commodo no-
bis maximè conveniente. Quod enim Boni commissio
& mali omissio non salvant, fragilitati ac infirmitati nostræ
prodest, ex quâ in Boni commissione & Mali omissione,
ea præstare Deo non valemus, quæ ille vult & nos debe-
mus. Quapropter amore suo providentissimo nobis
Salvator noster succurrit, & fidem ad salutis adeptionem
ordinavit, quâ non solum à judicio Dei rigorosissimo nos
& opera nostra eximere, sed ex abundantia quoq; satisfac-
tionis semel pro nobis per Christum præstitæ, omnes o-
mninò defectus, damnatione dignos, supplere possumus
largissimè, & hoc Paulus respicit dum Romanis suis c. VIII.
v. i. scribit, quod nulla nunc sit condemnatio iis, qui sunt in
Christo Jesu. Quod verò Boni omissio & Mali commissio
damnant, id carnem nostram ex perniciosâ illa securitate
excitat, & nisi pœnas exsolvere velimus æternas, ad serium
nos virtutis inpellit studium, & eò stimulos suos dirigit, ut
cum

cum Paulo Rom. XIII, 11. 12. à somno peccatis expergiscamus,
ut abjiciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis, ne
ad majora geniti Mancipia simus corporis nostri, sed ad
cupiditatum internecionem dies noctesqve laboremus,
Illuxit enim gratia Dei salutifera omnibus hominibus inquit
Paulus Tit. II, 11. 12. 13. 14. Erudiens nos, ut abnegat à impieta-
te & mundanis concupiscentiis σωφρονας, ηγῆ δικάως ηγῆ εὐσε-
βως, id est, sobriè & justè & piè vivamus in hoc seculo, expectan-
tes beatam illam spem, & illustrationem gloria magni Dei &
Servatoris nostri Jesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis
ut redimeret nos ab omni iniquitate & purificaret sibi
ipsi populum peculiarem, Sectatorem bonorum operum. Plura
de Servitio hoc tripartito, quo Christianus & Domino & pro-
ximo & sibi ipsi addictus esse debet, qui scire desiderat, adeat
si lubet, Dn. D. Dannenbavveri Drama S. A 1. Protheor, Phæn.
3 p. 40 41.

XL V. Nos ad Latronem rursus, quem ex jam di-
ctis, tanquam καὶ ἄγγελον ex vitâ malè, actâ & patibuli & in-
ferni candidatum cognovimus meritissimum, summoq;
cum jure à regno Christi tam gratioso quàm glorioso in-
perpetuum excludendum. Et tamen admittitur ille,
tam citò, tam amicè, tam liberaliter, ut subdubitemus
firmè, num à mundo condito magis rarum ac clarum li-
beralitatis divinæ exemplum unquam exstiterit. Quod
enim Adamo, Abrahamo aliisque in expectatione fuit la-
boriosissimâ, id sine mora adipiscitur Latio. Sed forte
inquies, in conversione suâ opera præstitit condigna, qui-
bus promeruit, quod Christus ipsi promisit? Neutiquam
verò! Bona equidem fuit Pœnitentia, quâ peccata sua ipso-
rumqve culpam & poenam ex Timore Dei debito, agnovit,
doluit, & publicè confiteri non erubuit, dum commilito-
ni suo

nō suo Christum blasphemanti, his verbis interdixit; *Nos
justè sumus in damnatione, nam digna factis recipimus.* Sed
commotio cordis ad poenitentiam non erat actus per vi-
res naturæ à voluntate latronis elicitus, sed erat actio legis
interpellantis peccatoris conscientiam Rom. III, 20. Bo-
num fuit desiderium, quo salutem à Christo obtinere la-
crumis & suspiriis suis sero quidem, sed tamen seriò labo-
ravit, illud à Spiritu sancto ingeneratum. Bona fuit obe-
dientia ejusque novum Propositum, cujus insigne speci-
men fraterna ipsius correctio prodidit, dum ex æquitate
& charitate, fratrem, ut Deū timeret & secum resipisceret,
exhortatus est. *Priusquam sibi aliquid petat, socium curat lu-
crari, quæ insignis est charitas, inquit Chrysostomus.* Bona fuit
patientia, quæ animæ salutem unicè quærens omnibus pœ-
næ doloribus & inde enascentibus obmurmurationibus
vel hoc restitit, quod justo Dei judicio *digna factis* recipiat.
Bona fuit constantia, quæ sine omni dubitatione talis ad fi-
nem usque perseveravit. *Non enim quærentur in Christi-
anis initia, sed fines* dicebat olim Hieronymus, sed hi erant fi-
dei à Spiritu sancto accensa fructus,

XLVI. Et hæc omnia à Patronis meritorum tanti
æstimantur, ut propterea Latroni vel Martyrium quoque
adscribant, & hujus gratia nescio quas torturas confingant,
quibus *Judei, confessione ejus Christum innocentem prædicante,
& facta ipsorum e contra accusante, irriati & furore per-
citi, in ipsum sevierint, ac immaniter crura confregerint, mor-
tem ita acerbiolem reddiderint & accelerarint, ac proinde Mar-
tyrem ex Latrone conficiant, ut in Cornelio à Lapide ejusque
Comm. in hunc Lucæ loc. p. 230. videre est.* Verum omnia
ficta, omnia falsa. Latroni namque huic propter confes-
sionem suam, præ Altero Malo dolores fuisse accumula-
cos

eos ubi scriptum! Et propter hanc ipsam concessionem
mortem ipsi acceleratam fuisse, nec Sabbatarii credunt,
quibus Sabbatum potius in mente fuit, teste *Joan. XIX, 31.*
quam ut crurifragio hoc in bonum latronem exercerent
vindictam. Nec malus quoque velatro à crurifragio fuit
immunis. Passionem itaque latronis pii ex vera ipsius
fide sanctificatam quasi & in paternam Dei castigationem
transmutatam fuisse, concedimus tandem, sed Martyrium
fuisse nullo modo persuademur, quia ut rectè monet *Cornelius*,
non pro Christo, sed pro suis sceleribus passus est latro.
Et licet *B. Cyprianus, Hilarius, Augustinus & alii Martyris* titu-
lo latronem nostrum insigniore haut dubitent; *Augustinus*
in l. 1. de Anim. ejusq. Orig. c. 9. T. 7. p. 1148. Cypriani potius
hyperbolen, quam suam sententiam explicet, quod in latrone
nostro inventa fuerit mensura martyris, & quamvis propriè
Martyr non fuerit, quia pro Christo & fide ejus non sit mortuus
apud Deum tantum valuerit, quod confessus sit, Dominum cru-
cifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus: Oratoriam
igitur hoc ipso titulo exercent potius laudati Patres, quam
ut rei veritatem accuratè definire voluerint. Quemad-
modum alibi de ipso fatetur *Hieronymus in fine Disput. ad-*
versus Helvidium Tom. I. colon. p. 117. E. dum inquit: *Rhe-*
toricati sumus, & in modum declamatorum paulisper lusimus.
Et huc referimus illa Encomia, quibus latronem ut *Evangelistam*
Athanasius, ut Prophetam Chrysostomus, & alii alio
modo commendarunt, quæ brevitatis gratiâ silentio præ-
terimus.

XLVII. Nec minus à veritatis scopo aberrant, qui
vel patientiam latronis constantissimam, vel ipsam quoque
mortem Deo pro peccatis in satisfactionem oblatam nar-
rant, vel etiam bone latronis proposito salutis adeptio-

G

nem



nem adscribunt. Quemadmodum *l. 6. Revelat S. Brigittæ*
c. 115. legitur, quod Brigittæ pro peccatore poenitente, &
ramen confessarii copiam non habente, intercedenti
Christus responderit: *Ille plorat, quod non habet auditorem*
confessionis suæ. Dic ei quod sufficit voluntas. Nam quid pro-
fuit latroni in cruce? Nonne voluntas bona? Aut quid aperuit
cælum? Nisi voluntas volendi bona & odiendi mala? Quid
verò facit infernum, nisi voluntas mala & adfectus inordina-
tus? Ipse namque latro papiculis hisce longè sapientior
in supplicio suo non merita vitæ sed mortis agnoscit, nec
medium vivendi intra se querit, sed extra sese in Christi in-
nocentiâ, omnipotentia & benivolentia, dum ingemiscit:
Domine memento mei, ut mox audiemus. Nec alia Deo,
nisi per mortem Christi præstari potest, satisfactio. Hæc
ut sola est λύτρον & sacrificium pro peccatis nostris ἰλασι-
κόν ita & sola salutem impetrat nobis, ut Petrus dicit Act.
IV, 12. Non est in alio quoquam salus. Neque enim aliud no-
men est sub celo datum inter homines, in quo salvos nos fieri
oporteat.

XLVIII. Apage itaque ex salutis Negocio cum
futili & inutili illâ operum bonorum gloriâ. Non equi-
dem damnamus ista, nec ex odio quodam præposteri fo-
res malitiæ pandimus Epicurææ. Absit à Christianis hæc
levitas, quibus aliud instillat mandatum Patris, aliud sva-
det exemplum Christi *Job XIII, 34, 35.* aliud agit Spiritus
Dei *Rom VIII, 14.* aliud postulat vocatio nostra *1. Thess IV, 7.*
Aliud Bonus Homo ex bono cordis thesauro profert *Matth.*
XII, 35. & ad alios melioresque fructus propensa est indoles
veræ ac per Christum vivæ fidei. *Gab. V, 6.* & *Jacob. II, 17.* At
verò studio hoc operum debito ipsam beatitudinem æter-
nam vel per modum medii vel meriti impetrari vel sub aliâ
condi-

conditione obtineri posse, hoc est, quod cum Apostolo negamus, qui *Rom. IX, 30. 32. & XI, 6. 7.* operibus omnem vim æternam salutem consequendi, vel saltem ipsius meritam attingendi derogat & fidei adscribit. Nec immerito? Sicut enim Salvatore nostro sub Evangelii luce & lance hoc nunquam in mentem venit, ut operibus in consequutione salutis æternæ, id est, visionis beatificæ negotii quid daret? Ita & opera nostra tanta non sunt, ut effectui vitæ æternæ saluberrimo vel in minimo respondeant, vel minimum ad ipsum obtinendum conferant. Quid enim quæso in latrone nostro horaria illa pœnitentia ad æternam & nunquam finiendam salutem? Quid bonum ejus propositum ad actualem illam transportationem, quam ipsi ex patibulo in cælum promittit Salvator? Quid tantillarum lacrumarum profusio ad extinguendam inferni flammam nunquam morituram, quam ipse prius perversâ suâ vita incenderat quasi, & de die in diem magis magisque inflammaverat? Hoc equidem constitui fatemur Deum nostrum, ut homo per fidem vitam æternam consequuturus, talis sit, qui bona operetur, qui pœnitentiam agat, Deum glorificet, qui proximo pro viribus inserviat, qui sanctimoniam, *sine qua nemo videbit Deum, Ebr. XII, 14.* studeat, &c. Et propter hanc ipsam Dei constitutionem, rationesque jam adductas studium bonorum operum Christiano omnibus modis est inculeandum. Nec labor ipsorum frustraneus est, sicut enim de fide presente & Deo placente suo modo nos reddunt certos, ita quoque in futurâ beatitudine sua habent præmia, suosque gloriæ gradus, quorum intuitu, *Paulus* exemplo suo ad labores indefessos nos excitat *Phil. III, 13. 14. 15.* dum in hoc unum nititur, ut palmam vocationis suæ adipiscatur. Verum bonis

nis exinde operibus ipsorumque labori, in viam ad ipsam
beatitudinem aeternam, aut merita imputare, aut media
accredere, aut aliam à Deo nunquam intentam conditio-
nis speciem adfingere, qui conatur, sibi nimis confidens
videtur, audaxque nauta.

XLIX. Tutiori viam in salute latronis exploranda
insistunt, qui ad fidem ipsius respiciunt, cujus vitam non
solum in praedictis operibus, novaeque obedientiae propo-
sito satis ostendit latro, sed ex ipsa quoque morte & satis-
factione Christi ejusque & agnitione & desideratione &
adprehensione & fiduciali adhaesione accepit. Haec namque
sola & vera fidei vita est, haec facultates ipsius vitales. Vivit
latronis fides in Christi agnitione, quam non solum agno-
scit ipsum in persona, sed ex officio quoque mediatorio.
Hominem agnovisse in cruce pendentem dubium non
est, sed Deum simul esse, quem videbat, & divina ab ipso,
hoc rerum statu expectasse latronem, id creditu nonnul-
lis est difficile; Nobis tamen minimè, si Timorem quem
conforti suo erga Deum incutere conatur latro, confera-
mus cum Regno, quod ab ipso simul expetit & expectat.
Ita namque sententiam istam, quam nonnulli latronis hanc in-
crepationem, *Neque tu times Deum*, de vindicta Dei in gene-
re hominibus facinorosa cumulantibus maximè timendam
intelligunt, longè veriore deprehendemus illam, quae
per Deum, timoris hujus objectum, ipsum intelligunt
Christum in cruce adfixum, quem latro latroni ideo ti-
mendum commendat, quia non solum *innocens sit homo*,
sed & *Deus vel Dominus* qui *Regnum* habeat, qui *proprium*
num regnum possideat, idque non mundanum, cui summa
crucis ignominia contradicebat, sed aliud, caeleste nempe
& gloriosissimum, cujus finis nunquam nec in morte sit.
metu-

meruendus, ut clarè fateatur, dum mortem Christi futu-
ram, tanquam introitum caelestem contemplatur, & pro-
pterea supplicat: *Domine, memento mei, cum veneris in Re-*
gnum tuum. Audiverat etiam in prætorio, audiverat in de-
ductione ad patibulum, audiebat in patibulo ipso disputa-
tiones Judæorum de persona & officio Christi, & Christi
voces responsorias, ex quibus informationem capiebat.
Nec pium nostrum latronem, latere potuit officium
Christi mediatorium & redemptorium. Propriæ namq; cul-
pæ, *innocentiam* opponit Christi, sine qua humano generi
nulla redemptio profuisset. Et quod in hac innocentia agno-
verit simul latro Christum pro alienis peccatis *has plagas susci-*
pere, atq; illa in Christi corpore vulnera, non Christi, sed pecca-
torum suorum esse vulnera, ut *Ambrosius* scribit: Hoc vel ex
inde patet, quod præmissâ innocentia hujus confessione,
Memoria ipsius se commendat, non otiosa certè, sed gratiosa
illi, quæ in regnum ipsum evehat, & participem faciat hæ-
reditatis post mortem futuræ & æternæ. Et ita latronis
fides non solum vivit in agnitione Christi ipsiusque meri-
ti, sed in desiderio ipsius, quâ rem agnitam desiderat, & hu-
jus gratia publicè supplicat & *memento* suum ingemiscit,
Christique memoriam ad hoc sollicitat, ut *misericordie sue*
sit memor & ipsum servum suum suscipiat, *Luc. 1, 54.* & in feli-
citate sua futura rationem ipsius habeat, ac salutem ipsi
indigno equeidem sed tamen indigo quoq; & cupidissimo
tribuat. Et hanc salutiferam Christi memoriam deside-
ratam vivâ quoque fide apprehendit latro, & sibi in specie
applicat, dum inquit, *Memento mei,* Tandemq; fiducialiter
ipsi adhæret, dum non solum Christo adhuc viventi spernâ
& rem suam committit, sed quoque in Regno ipsius parti-
culam suam expectat & in hoc acquiescit. Paucis! Sufficit
nostro.

nostro latroni inter tot dolorum ac peccatorum crucia-
tus, *sifit in Christo Rom. VIII, 1.* & in ipsius memoria, si cu-
ræ ipsi sit salus sua. Tunc enim certissimè sibi promittit,
quod omnia quæ Christi sunt adeoque & regnum ipsius sit
possessurus, *Domino itaque supplicat, quia certus est, quod*
in salute sua divinam exercere possit omnipotentiam. Memo-
riam, ejus sollicitat & hoc ipso quoque tangit ipsius Benevolen-
tiam cujus voluntas bona & prona est, & neminem tri-
stem dimittit, *Sibi efflagitat eandem, & indigentiam suam*
agnoscit simul, cui cum extra Regnum Christi nulla salus
obtingere possit, ideo ad Regnum ipsius recurrit, & Gratiam
ac Gloriam ejusdem expetit, miseris & in Christum cre-
dentibus peccatoribus à Patre ab æterno destinatam, quod
exprimit noster latro, dum tuum addit, q. d. Hoc regnum
ego meditor, hoc ego spiro & spero, quod tuum est, &
per ingressum tuum gloriosum ex Patris voluntate tuis
quoque aperitur.

L. Sed, unde, inquires, inauditum fidei hoc speci-
men in latrone, in eo, qui semper malè vixit, qui perpetuis
peccatorum nexibus illigatus, immanitate scelerum haud
interrupta mentem suam ulceravit? ut non immeritò
cum Cyrillo exclamemus, *Quæ virtus de inluminavit ò la-*
tro? Quis te docuit adorare contemptum & simul cruci adfi-
xum! O lumen perpetuum inluminans obscuratos! Ad hanc
Questionem respondendo, *Franciscus de Escobar & Men-*
doza in Evang. Sanctorum & Temporum l. II sect. 7. §. 1. p. 459.
n. 5. & 6. non parùm tribuit intercessioni Deiparæ, ejusque
gratiâ ad *Salmeronis Tom. 10. Tract. 40.* provocans, quod ille ex
Petro Damiano referat, idcirco bonum latronem resipuisse, quia
beata Virgo inter crucem Filii & crucem latronis posita, Jesum
pro latrone deprecata sit. Nec abs re, quod ex D. Anselmo,
Diony-

Dionysius Carthusianus scribat, Deiparam cum Jesu & Josepho
fugientem in Aegyptum & in latrones incidisse & à bono hoc
latrone de eorum manibus liberatam fuisse, Unde Deipara an-
tiquum obsequium novo hoc beneficio compensaverit. Sed ut
fabula fabulam gignit, ita & error errorem, Narrator Nar-
ratorem, cui nos succinctius obviare vix possumus,
quam si Beatam Mariam sub cruce aliquid intercedendo
loqvutam fuisse planè negemus, idq̄ve suffragio Aloysii No-
varini domestico, qui in Joanne expenso ad c. 19. sect. 3. n. 1676.
p. 212. ita scribit: vidisse Matrem dictus est Christus, non audi-
isse, ut vel hinc modestia virginis & constantia argueretur. Be-
nè Marcus Vigerius Chor. 7. c. 13. Cum vidisset Jesus Matrem.
Qui vidit audire potuit, & melius audire, quàm videre, san-
guis enim de universo corpore profluens visum potuit hebetare
potius, quàm auditum, crescit enim debilibus & laborantibus
auditus, (nescio quomodo) visu præ debilitate diminuto & ta-
men vidit Matrem, quia illa stetit. Non dixit Evangelista:
Cum audisset; Quia illam præ modestia tacentem audire non
poterat. Hucusque Vigerius. Quod ipsum quoq̄ve Bel-
larminum de script. Eccles. p. 61. movit, ut Tragediam illam
sive Tragico-Comœdiam, de Christopaciente, quæ Gregorii
Nazianzeni nomine fertur, & à Claudio Roiletto carmine
latino edita est, Nazianzeni esse neget, quia gravitatem Na-
zianzeno solitam non habeat, præsertim cum Ejulatus Matris
Christi describitur, quæ prudentissima erat & constantissima.
Ex quibus rectè nos concludimus. Si beata virgo, sub
cruce, ex modestiâ se abstinuit ab interloqvutione, multò
magis ab intercessione, utpote, quæ jam, satisfaciente ac
pro peccatoribus intercedente Christo, magis immodesta
fuisset, quàm si loqvuta esset.

L I, Alii insignis hujus fidei originem quarunt in
mira-

miraculis, & hanc ipsam vel extraordinaria & miraculosa
Spiritus sancti operationi singularique Christi presentis
benignitati, & virtuti vulnerum ipsius occultae ad-
scribunt, vel, quod *Cornelius à Lapide* in h. l. ex *Vincentii Fe-
rerii Serm. de bono latrone* adducit, ad umbram crucis Christi
refugiunt, sub qua a sole gyrante conversus latro, quasi refectus
fuerit quemadmodum infirmi sub umbra Petri *Actor. V, 15.*
Sed sicut hoc posterius nimis incertum est, ita & prius mi-
nus sufficiens. Ut enim Spiritus sanctus in conversio-
ne peccatoris maximè agat, & locum causae principalis te-
neat, nunquam tamen in salutis negotio, & praecipuis
apud adultos media negligit ordinaria, sed illa semper per
verbum & Sacramenta obfert, confert, hisque hominem
modò incitat, modò excitat, modò inluminat, modò in-
format, modò sanctificat, modò confirmat, & quae sunt al-
lia, quae Spiritus sanctus in officina sua pro subiecti reci-
piendis aut renitentis diversitate, modò usque operatur &
observat.

LII. Et haec fidei media latroni nostro concessa
fuisse nullum est dubium. De Baptismo quidem & quod
hautquam latro ablutus fuerit, res clara est. Quidquid
enim *Cyprianus de latrone, suo sanguine baptisato*, & *Augusti-
nus l. 3. de An. ejusq; origine c. 9. T. 7. p. 1180. de Baptismo Aqua si-
mul cum sanguine ex Christi latere exsipientis & latronem tan-
gentis & tingentis* rhetoricatur, nihil tamen definiunt. Ab-
sonum est, quod latro martyr fuerit, & sicut fictum hoc
martyrium à nonnullis eo quoque extenditur, ac si ipse pro-
prio hoc suo sanguine lavari & salvari potuisset, ita & in-
effusum Christi sanguinem, cui soli hi fructus competunt,
injuriam haut levem simul animadvertimus. Alieno san-
guine pollutus latro noster ad crucem damnatur. Alieno
quoque

quoque sanguine ablutus in cruce beatur. Tropicum est, quod *Augustinus* baptismum latronis ex aqua deducit effluente à Christi latere. Figura quidem, aqua illa, Mysterii huius sacrosancti fuit, sed non Ministerii, quod cum materia externa sive aqua, requirit etiam internam, hoc est Verbum vel Rem verbo institutionis promissam. Requirit & formam, hoc est sermonem & actionem ab instituyente determinatam, actaque secundo applicatam huic individuo & alias circumstantias, ut nempe non mortui sed vivi baptiscentur, & quæ sunt alia, quæ Christo & Latrone jam tunc mortuis propriam baptismi rationem impugnant. Nec verò ad baptismum, ut obiter quædam de ipso inspergamus, observandum omnes tùm temporis obligabantur homines. Nec post Evangelicam dilatationem & catholicam inde factam obligationem Sacramenti huius necessitas tam absoluti est rigoris, ut iuxta *Augustinum* aliosque morte præmaturâ præventis, futuræ beatitudinis spem præcludat & adimat. Licet enim à parte nostri omnes omnino & infantes & adulti ad hanc regenerationis viam obligati simus. A parte Dei tamen, baptismum V. G. in infante morte antevertentis, benignitas tanta est, ut reos per fidem, singulari Spiritus sancti gratiâ (ad exemplum Baptistæ in utero ad præsentiam Christi saltantis Luc. I. v. 44.) extra baptismum quoque excitatam, liberare & salvare possit. Quapropter Parentibus preces sunt commendandæ & curæ præprimis, ne ipsimet datâ operâ gratiam Dei vel impediant vel contemnant, Despectus namque, non defectus est damnabilis. Posito itaque quod & latro ad baptismum suscipiendum fuerit obligatus, num verò inter hostes veritatis, veritatem agnoscens, & seram quidem, veram tamen simul ac seriam poenitentiam a-

H gens,

gens, sed propter vacinora sua in cruce patiens, ibique propter hostium furorem nec aquæ, nec Ministri copiam habens & idè sine baptismo discedens, à salutis spe hoc ipso baptismi defectu deterreri possit, sine omni hæsitatione cum nostro *Chemnitio part. 2. Examin. Concil. Trid. de Sacram. in genere can. 4. p. 17.* negamus.

LIII. Alia namque ex gratiæ ordine adsunt salutis media, quæ latroni in casu hoc necessitatis ad fidem & salutem adipiscendam suffecerunt, verbum nempe *Evangelii*, quod est *potentia Dei ad salutem omni credenti*. Roman. 1, 16. *Et fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, inquit idem c. X, 17. Et licet latro noster adhuc extra carcerem salvus, Christum vel prædicantem vel miracula facientem, nec audivisset, nec vidisset; Fama tamen de ipsius doctrina & operibus benignissimis per ora multorum, hinc inde sparsa & in universâ Judæa vulgata latere ipsum non potuit. Et hanc ipsam famam in multis scintillam fidei primam accendisse & Christum ejusque Evangelium querendi & amplectendi; multos obicem non molientes, incitasse & inclinasse, sacra pagina abundè testatur. Nec gratiosissima hæc solum ad fidem invitatione beatus est latro, sed audivit ille pariter ex Christo ipso concionem illam pulcherrimam, quæ in educatione cruciariâ amicis lacrimas suas sibi patienti commodantibus, verum passionis suæ scopum & fructum perspicuè ostendit. Audivit & ille intercessionem Christi pro hostibus tanto verborum pondere factam, ut Gratiâ Dei omnibus peccatoribus adstantem, & veniam omnibus peccatoribus petentem, & viam quoque ad Gratiâ per Christum implorandam, & ad veniam in Christo impetrandam oculis quasi conspiciere potuerit. Nec deerant sacrosancti Spiritus motiones &

nes & actiones, quibus hominem modò ad sui, modò ad Christi agnitionem incitabat, & agoscenti, modò sui ex morte accusationem, modò Christi in manus resignationem persvadebat, viresq; & faciendi & credendi & hanc ipsam Christi adprehensionem promovendi simul obferbat & conferebat, Fideq; ira accensâ & in Christum directâ modò desiderium salutis magis magisq; inflammabat, modò ex promisso subsidio recreabat, & in hujus adplicatione & adpropriatione tantâ fiduciâ credentem corroborabat, ut uni Christo adherere in ipsoq; & vivere & mori, summa ipsi fuerit beatitudo.

LIV. Hæc fides latronis fuit inaudita, Hoc ipsius initium & incrementum, quo tanta sibi in ecclesia cumulavit encomia, vel ut verba tandem, hæc ipsa effari, vix suffecerint. Ex quibus omnibus unicum illud *Bernhardi*, quod in *Serm. 2. Epiph.* habet, adferimus, & quo magis illud, Rapinam illam fidei coelestem piâ meditatione evoluit, eò libentius à nobis refertur. *Videte*, inquit *Bernhardus*, *quàm oculata sit fides, quàm lynceos habeat oculos, diligentius considerate. Cognoscit Dei Filium lactentem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem, siquidem magi in stabulo, latro in patibulo agnoscunt, (videns lignum, confitetur Regnum, inquit Augustinus) Centurio verò vitam agnovit in morte. Et paulò post: Mirus latro mirè prædari novit. Vidit meridiano tempore Regem summum, pauperis contactum habitu, per angustam viam crucis iter facientem in Regnum suum; agnovit sub pauperis habitu regias latere opes, invadit Regem latro, spoliat, regias divinasq; sibi comparat, quibus sic est locupletatus, ut inter cælestes principes sit collocatus. Elegantissima sanè hæc fidei comparatio, quam & Christus ipse comprobat, dum *Matth. XI, 12.* dicit, quod Regnum cæ-*

lorum vim patiatur & violenti illud rapiant. Quo ipso non solum confluxus notatur regnicolarum, sed & adfectus præprimis ille fidei; quæ pleno quasi desiderio in bona cœli promissa & proposita in petum facit celeri ac prompta manu rapit & caput cupidissimè & retinet ad propriatqve sibi pro suo desiderio. Et hoc est quod cum Bernhardo de salvifico latronis nostri conatu *Chryostomus* scribit, *vim facit Majestati & Cæleste furatur Imperium*, vel ut *Sedulius* canit:

Abstulit iste suis cœlorum regna rapinis.

Et quia raptores vel hæredipetæ, ut superius th. XIV. hoc ipso intuitu Regni cœlestis hæredes, descripsimus, non tantum cum eo certant, cujus bona desiderant, verum & inter se ipsos colluctantur, ut unus præ altero, quod cupit, capiat. Ideo *Gregorius Nazianzenus Orat. 40.* pio fervore exclamat, & auditores suos, ut sequantur & idem contentur, verbis adhortatur gravissimis, dum inquit: *Quo circa vobis providendum est, ne ad gratiam cunctanter accedatis, verum summam celeritatem adhibeatis, ne latro vobis antevertat, ne adultera vos prætereat, ne avarus superiore conditione sit, ne Publicanus, ne Scortator, ne deniq; quisquam ex his, qui per vim in regnum irrumpunt illudq; rapiunt.*

LV. Et hæc fides, quò arctius sese Christo ejusqve merito implicuit, eò citius obtinuit, quod ab ipso expetiit; Non quidem ratione quantitatis aut qualitatis, aut illius actionis, quã omnes vires & oris & cordis in salutis suæ negotium latro intendit: sed solius hujus relationis respectu, quæ fertur in Christum ejusqve meritum, & bonum inde oblatum fiducialiter adprehendit, dum nempe memoriam Christi sollicitat latro, & hoc ipso non solum in memoriam revocat Christo, quid sui causa & commodo
fecce-

fecerit, ac perpeſſus fuerit, ſed & memoriã hanc inplorat, ut ſe miſerũ in regno futuro complectatur & participẽ faciãt boni tantis laboribus ac doloribus acerbiffimis promeriti. Hęc fidei in Chriſtum relatio, Hęc, inquam, fides tantum impetrat, ut non ſolum latroni illud ipſum meritum Chriſti in juſtitiam imputetur, ſed quoq; clariffimis verbis promerita per Chriſtum beatitudo ei promittatur. Licet enim juſtitia imputatã expreſſa in Chriſti reſponſione, mentio non fiat, ex effecto tamen promiſſo & vitæ futuræ beatitudine ſatis liquet, ut rectè *Auguſtinus* dicat *Serm. 130. de Tempore* dum ait: *Chriſtus Mortis & Diaboli Victor & ſacratiffimam ingrediens Patriam ſecum latronem introduxit, non conculcans Paradysum iſtius pietatis opere ſed honorans; neq; confundens latronis introitu, ſed inluſtrans; Honor enim eſt Paradysi, talem Dominum habere, qui etiam latronem dignum facere poſſit Paradysi deliciarum.* Quæ ipſa dignitas certè non operum eſt, ſed fidei, cui, quod dignos nos facit, ex Chriſti dignitate imputatur. Quemadmodum id *Paulus Rom. IV, 6.* ex *Davide* explicat, *Beatificationem nempe & μακαρις μὲν hujus hominis eſſe cui Deus imputat juſtitiam absq; operibus.* Utrumq; itaq; & juſti habere latronem & ſalvificare eundem in mente Salvatori noſtro eſt, dum ipſum hiſ verbis erigit, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradyso.*

LVI. Ubi omnium primò juramentum Chriſti, velut *Auguſtinus* loquitur, ipſius quaſi juramentum attendendum nobis erit, quo hoc ipſum, quod jam dicturus & promiſſurus erat, verum eſſe adſeverabat. *Amen, inquit, dico tibi,* id eſt certè verè & firmiter tibi adfirmo ac promitto, ut ex *Hebræo אמן*, quod in *Niphal*, firmum ac verum eſſe, ac in *Hi-phil credere* ſignificat, notum eſt. Quod enim *Füllerus Misc.*

Sacr. l. 1. c. 2. Adverbium illud, *Amen*, pro juramento habentibus contradicit, & non esse variis evincere laborat, in quo etiam *Cornelium à Lapide* consentientem habet. *Com. in Pentat. ad loc. Deut. XXV, 15. p. 1010. & ad Matth. V, 18. p. 133. & comm. in Epist. Paul. ad 1. Cor., XIV, 17. p. 314.* id nos hac vice, minimè tangit. Sive enim sit juramentum, sive juramenti loco, idem est nobis, quemadmodum *Dn. D. Salomon Glassius lib. 3. Phil. S. Tract. 5. can. 16. p. 470.* hac sine distinguit inter solennem jurisjurandi formam & inter firmam adseverationem jurisjurando ratione veritatis & firmitudinis æquipollentem. *Qualis ad minimum* voculâ *Amen* exprimitur, cui & ipse *Füllerus* subscribit, dum verba *Hieronymi* adserentis, in veteri Testamento Dei juramentum esse, *Viva ego dicit Dominus, & in Novo Testamento, Amen dico vobis*, ita exponit, quod recens hac Testamenti formula, perinde valeat ac antiquum illud veteris juramentum ejusq; instar sit & parem ad veritatem confirmandam, vim locumq; obtineat. Et hoc sufficit nobis, respondet enim cum illo Apostoli *2. Cor. I. 19. 20. 21.* dum ait: *Filius Dei non est ita & non, id est, Non est versutiloquus, qui rem modò adserat modo neget, & mel in ore, fel in corde habeat, qui multa promittat & nihil reddat perfectum, sed quotquot sunt promissiones Dei, per ipsum sunt ita, per ipsum sunt Amen, Deo ad gloriam per nos. Qui confortat nos (intellige in fide) in Christum, id est, qui per verbum suum verissimum & firmissimum nos confirmat, Deus est, qui verus.* Et talis vera ac firma promissio, est quoque hæc nostra, cui *Christus Amen* suum & affirmativum & adseverativum præfigit, non quidem eâ intentione, ac si veritas ipsius in se infirma sit & incerta, ac prius diris ac duris adseverationibus corroboranda. Minimè verò! Sed nostri causâ veritas ad veritatem provocat,

vocat, quia infirmitatis ac incredulitatis nostrae non igno-
rat praepedimenta. Hæc ut removeat Deus, jurat non
rarò, & vitam suam & immortalem ac æternam gloriam,
Majestatem, potentiam ac veritatem interponit, & se po-
tius Deum futurum esse negat, quàm ut homines fallat, ac
verbum a se prolatum non reddat perfectum, cujus passim
exempla occurrunt, *Num. XIV, 21. Ez. XXXIII, 11.* & alibi, ad
quæ non immeritò *Tertullianus* exclamat & nos cum illo.
*Obsecro nos, quorum causâ jurat Deus! Omiserimus, si nec
Deo juranti credimus?*

L VII. Et hoc juramentum sive hanc adseveratio-
nem Christum quoque in verbo suo secundo nostri causâ
datâ præfixisse promissioni, vel ex hoc patet, quod singu-
lari Emphasi hæc duo adjiciat. *Dico tibi, quæ vix accura-
tius exprimere possumus, quàm si B. Cyprianum* ejusque
verba in subsidium vocemus nobis. Ita enim ille: *Quum
res adeò insignis esset, quàm promittebat Christus, nimirum
Paradysus, & quia ille, cui promittebat magnus erat peccator.
Latro nempe, & cum ille qui dicebat, Christus nempe
parvæ fidei promissor videretur, utpote, qui in cruce penderet,
& quia sex hominum aderat in cujus præsentia promitteret,
ideò ad majorem verborum suorum confirmationem voluit an-
te jurare quàm promittere. Maximum nempe Bonum
erat, quod & appetebatur & promittebatur, Regnum sci-
licet cœlorum jusq; beatitudo futura & æterna. Promittebat
hoc regnum, homo nudus, omni destitutus auxilio ligno-
que adfixus ignominiosissimo. *Dico, Dico tibi, inquit ille,
& promittebatur hoc regnum homini malo, & propter
facinora sua crucis & inferni poenâ dignissimo. Hunc
salutarille, Huic promittit, dum inquit, Tibi, Tibi dico.*
*Qvis**

Qvis, quæso, manibus hisce & danti & accipienti tanta ac-
credidisset dona & bona? Qvis unquam Regni donum ex-
spectasset à miserrimo illo homine, cujus *Corona* ut *Augu-
stinus* inquit, *Spinea est, sceptrum clavi, purpura sanguis, Thro-
nus crux & Ministris carnifices*? Qvis unquam coeli bo-
num adsignasset homini facinorosissimo & nebuloni infi-
gnitè malo, qui toto vitæ cursu ne cælum quidem putavit,
sed scelera potius, quantum potuit, cumulavit? Huic ita-
quæ credendi difficultati & infirmitati ut obviaret Salva-
tor noster, regnum beatitudinis miserrimo servitutis suæ
statu, latroni ita promisit, ut ad suam simul veritatem, quæ
nec fallit, nec fallere scit, provocaret & ad severando dice-
ret: *Amen dico tibi.*

L VII I. Et dignum profectò notatu est, quod in
divinæ hoc liberalitatis exercitio Salvator noster totidem
replacet verba, quot ipsi in supplicatione suâ devotissimâ
latro consecraverat; singulo quæ verbo singulo latronis re-
spondeat suspirio, & quod præter coeli promissi & latronis
indigni incapacitatè & inæqualitatè testimonium libera-
litis divinæ magis magisque inlustrat & confirmat, singulis
verbis, vota simul latronis superet ipsique longè plura, lon-
gè majora, longè meliora, longè perfectiora, longè amabi-
liora promittat, quàm ipse petierat; quod vel Dispositio
Sermonum sequens & cum textu originali concordans ad
oculum evincit:

Latro: *Domine, memento mei, cum veneris tuum in Regnū.*

Christus: *Amen, dico tibi, hodiè eris mecum in Paradiso.*

Ubi plura sanè respondet Christus, quàm Latro pe-
tierat, ipse nam quæ Dominum adoraverat, cujus promissis
inniti se posse sperabat, & ille se Dominum ostendit ipsi
verissimum, qui fallere & nescit & nequit, cujus *verbum est*
rectum

rectū & omne opus ejus firmum vel Amen, id est, sine fraude, &
in fide, אֱמֵן ut fontes habent Ps XXXIII, 4. Ut non im-
merito quærat: Num ipse quid dixerit & non fecerit, Num
quid locutus fuerit & non præstiterit? Num. XXIII, 19. Hu-
jus gratiā itaque jurat, & quod dicturus est per Amen suum
adieverat, quemadmodum eandem infallibilem Dei ve-
ritatem ex promissione & juramento ipsius olim dato Epi-
stola ad Ebraeos colligit, dum c. VI, 17. 18. 19. hunc in modum
scribit: Deus cum eximie vellet heredibus promissionis osten-
dere consilii sui firmitatem interposuit jusjurandum ut per duas
res immutabiles, id est, per promissionem suam juratam, in
quibus fieri non posset, ut mentiretur Deus, validam consola-
tionem & exhortationem haberemus, quibus ad Deum nem-
pe fide per Christum, confugimus, ut propositam spem, id est,
vitam æternam credentibus promissam & fide expecta-
tam consequamur. Quam, spem nempe Christianam, vel-
ut anchoram tenemus animæ, tum tutam, tum firmam, & in-
troeuntem usque ad ea, quæ sunt intra velum, id est, usque in
coelum, quod per sanctuarium tabernaculi & templi præ-
figuratum fuit, quemadmodum id pluribus explicat Dn.
D. Gerhardus b. l. p. 143. ubi terminos comparationis spei
cum anchora ita tandem recenset: Sicut anchora non hæret
in aquis, sed terram sub aquis latentem ingreditur eiq; infigi-
tur, & ita navim contra fluctus firmat, & à submersione tutam
reddit: Ita spes nostra non hæret in fluxis bonis terrenis, nec ad
vestibulū pervenisse contenta est, sed penetrat in cælum usque, & cæ-
lestibus bonis unice infigitur ac innititur & hoc ipso cor credentis
cōtra tentationes facit immobile & ab æterno exitio reddit tutis-
simū. Tantam scilicet fiduciā Amen Domini cordibus nostris
insinuare potest. Sed pergimus & majora quoque latro-
niā Christo concessa fuisse, quam ipse voluit, vel ex hoc so-
lo e-

Io evincimus, quod ille inplorat Christi *memoriam* & hic
 memoriâ suâ gratiosa latronem amplectitur statim, & al-
 loquitur, adeoque non *meminit sui* tantum corde, quod la-
 tro petit, sed ore quoque infallibi suo, in album Sancto-
 rum, imò *in memoriam suam* actuosissimam omniqve ca-
 rentem oblivione refert ipsum; suffecisset, si voto latronis
 annuisset tantum; Sed majora latroni significanda erant,
 & ipse de hoc certus reddendus. Quare inquit Dominus:
Amen dico tibi. Meliora quoque latroni præstat Christus,
 quam desideravit, & dum ille futura sperat ac spirat, &
 quidem ea, quæ Christus *intra triduum de Regni sui restaura-*
tione futura esse promiserat, futurâqve illa salute est con-
 tentus, ecce præsentem habet hanc ipsam & ibi *hâc die erit*
 quâ Christum credit *venturum.* Quod egregiè Augustinus
in Ps. XXXIX. exponit, dum ait: *Salutem suam longè futuram*
sperabat latro, & post longum tempus accipere contentus erat.
In longum sperabat; Dies non est dilatus. Ille dixit: *Memen-*
to mei cum veneris in regnum tuum; Ille respondet: *Hodie me-*
cum in ligno crucis, hodie mecum in ligno salutis. *Paradisus*
habet ligna felicia. Sed & perfectiora audit latro quam
 expectat; non enim *eris* tantum, inquit Christus, in eo,
 quod *meum* est, quod tu desideras, dum petis, *memento mei*
cum veneris in tuum, sed & *mecum* simul eris, in meo con-
 spectu, in meo consortio, quæ felicitas est perfectissima.
 Et ut amabilia quoque attingamus, quæ Christus latro-
 ni supra suum petitum promittit, tu desideras inquit Chri-
 stus, *memoriam tui in meo regno* & ecce habebis mox ado-
 ream *mecum in Paradiso,* summisq; hodiè mecum perfru-
 eris deliciis.

LIX. Et ut effusissimam hanc Salvatoris nostri
 liberalitatem, quâ cœlum æternamqve ipsius felicitatem
 pro-

promisit latroni, ex residuis suis circumstantiis cognoscamus
exactiù, omniù primò in beatitudinis hujus orsum inqvi-
rendum nobis erit, quem Christus HODIE, id est, Hoc
ipso die, quo latro & patiebatur & moriebatur, constituit.
Meminit quidem *Beatus Chemnitius part. 3. Exam. Concil.
Trid. de Purgat. cum Script. prign. p. 110.* quod Monachus qui-
dam in gratiam purgatorii, hanc promissionem Christi
levissimâ manu perciderit & hunc in modum transposu-
erit: *Amen hodie dico tibi, eris mecum in Paradiso*, nempe,
post expleta purgatorii tormenta; ut ita intelligenda sit
his verbis non hodierna Paradisi possessio, sed hodierna
tantùm Paradisi promissio. Quemadmodum *Valentinus
Smalzius contra Dn. D. Franzium & Testamentum à Photi-
tinianis Racovia anno 1630 editum* eandem depravationem
verborum Christi retinuit, dum ita reddidit, *Amen / Ich
sage dir heute / du wirst mit mir in Paradies seyn.* Sed sicut
corruptissimus hic punctuandi modus omnium sanorum
iudicio ridiculus & rejiculus est; ita quoque ab ipsis papi-
colis rectè impugnatur, ut patet ex *Gvidone de Perpignano
in quat. uno super Luc. XXIII, 43 & Maldonato, qui in Matth.
27. 44.* hanc opinionem pro insipidâ habet & *enervi*, cui &
Bellarminus l. 1. de Beat. Sanctor. c. 3 ad stipulatur, dum scri-
bit: *Hæc expositio prorsus est ridicula, quorsum enim Dominus
diceret, Amen dico tibi hodie? Nonne videbat latro Dominum
loqui illa die? & quod Smalzius pro obtinenda hæc perver-
sissima verborum Christi depravatione urget, id à Dn. D.
Wolfg. Franz. in vindiciis, cont. Smalz. & disp. de extremo ju-
dicio sect. 4. id orac. 1. solidè est dilutum & dissolutum. Ubi
tùm ex ipso contextu, tùm ex Syriaca Novi Testamenti
translatione luculenter ostendit, quod τὸ Hodie, non ad
antecedentem promissionis ad severationem, sed ad subse-*

quentem ejusdem delineationem sic referendum. Ita enim Syrus reddidit: *Amen dico ego tibi, quia hodie tecum eris in Paradiso.* Quod & Theodorus Beza in annotationibus suis ad N. T. haud obscure confirmat, dum inquit: *Nimium audaces sunt, qui particulam σήμερον adjecta distinctione conjunxerunt cum verbo λέγω, cum in omnibus codicibus connectatur cum verbo εἶπα. Et in quodam etiam exemplari legatur εἶπα σήμερον.* Ut ita ex toto contextu hic sensus profluat; Mi homo, quod tu, ridentibus & iridentibus aliis, vides & credis, me Regnum non solum habere, sed & intra spacium tridui promissum, id fore erecturum, ac ideo petis, ut tui tunc recorder & te participem faciam boni, id certo habebis & impetrabis verè; nec tunc demum, sed adhuc hodie eris tecum in Paradiso.

LX. Et ita secundò quoque modum beatitudinis futuræ, delineat Latroni Salvator noster, dum ipsum SECUM hodiè in Paradiso futurum, esse adserit. Quo ipso ut succinctius nos expediamus, nihil aliud notat, quam Gaudia latronis in vitâ futurâ felicissima, ad quæ post mortem citatissimo & velocissimo evolutu sit transiturus. Hæc autem ipsius felicitas, quod Christum in perpetuo sit habiturus consortio, quod ipsum ipsiusque gloriam mox sit visurus, & cum ipso in æternum gavisurus, quæ ipsa visio siue sitocularis, ut Hiob in carne sua Deum visurus c. 19, 27. attestari videtur, & Paulus, qui a facie ad faciem visurum se credit, I. Cor. XIII, 12. Sive ut Thomistæ volunt, intellectualis tantum sit, à plerisque tamen pro fonte & bono totius felicitatis æternæ summo, non immeritò habetur. Quem admodum Augustinus inquit: *Visio Dei est tota vita æterna & summum beatorum premium.* Quid enim felicius obtingere potest animæ, vel aliquando toti homini, quam hæc

hæc ipsa visio, quæ ratione objecti circa Deum versatur i-
psumque habet in oculis, qui summum & infinitum bo-
num est, omnisque boni author & origo. Quapropter e-
tiam ratione effecti, ex visione ista, ejusque celebratione
& conversatione continuâ, gaudia oriuntur ineffabilia,
ut Regius Psalmista ait: *Pf. XVI, 11. Coram te plenitudo gau-
dii est, & delectationes in dextera tuâ perpetua, & Pf. XVII, 17.
In justitiâ contemplanor, faciem tuam & satiabor cum adpa-
ruerit gloria tua.* Et hanc felicitatem Christus quoque
piis non solum promittit *Matth. V, 8.* dum ait: *Beati mundo
corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* sed etiam hujus felicita-
tis & satietatis gratiâ, mundo vale dicens patrem suum so-
licitat, & orat: *Pater quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego,
& illi sint mecum, ut videant gloriam meam, quam dedisti mihi
Joh, XVII, 24.* Et ita piis ac credentibus nihil magis est
in votis, nihil magis in deliciis, nihil magis in desideris,
quam visio hæc ipsa celestis, quam credit *David Psalm.
XXVII, 19.* dum ait: *Credo me visurum bona Domini in terra
viventium,* & ejus intuitu *Paulus Phil. I. 23. dissolvi, & cum
Christo esse, desiderat.* Et summam hanc ipsam felicitatem
summumque cæli bonum latroni promittit Christus, dum
eundem hodiè *SECUM* futurum dixit. Vox sono quidem
auditur exiguo, sed mox tanto bonorum adfluxu dilata-
bitur, cui juxta *I. Cor. II, 9.* in mortali hoc statu nec aures,
nec lingvæ nostræ capiendo sufficiunt. *Quæ enim oratio,
inquit Cyrillus l. II. in Joan. c. 28. quam suave sit, esse cum Chri-
sto, explicabit? Ineffabilia certè sunt, nec oculus unquam vi-
dit, nec auris audivit, nec in cor hominis adscendit. quæ Deus
preparavit diligentibus sese, quid enim majus, quam esse cum
Christo?*

L. XI. Sed ut hæc omnia evidentiora fiant, locus

tandem, sive ut accuratiùs loquamur, status vel *est* illud
 beatorum nobis est inquirendum, quod Christus per Pa-
 radisum denominat, dum inquit: *Hodie mecum eris in Pa-*
radiso. Ubi ab initio notamus, quod Gellio in *noctibus Atti-*
cis l. 2 c. 20. referente, Græci Παράδεισον vocant, quæ Latini
 dicunt vivaria, aut roboraria, à tabulis, quibus septa essent, ro-
 boreis, in quibus voluptatis causâ, tum plantæ excoleban-
 tur, tum viva pascebantur animalia; Et quod originem
 vocis concernit, refert quidem Petrus Mosellanus in *adnota-*
tionibus suis Gellianis ex Suida, ac si, illa Græca esset, & hac
 ipsa nihil aliud significetur, quàm hortus fluviis irriguus, à
 præpositione *παρά*, id est, juxta & verbo *δένω*, id est, irri-
 go. Quemadmodum & alii Paradisum *παρά τὴν δέναν πο-*
ταμὸν id est, à collectione herbarum ita nuncupant. Sed
 ut maximè hæ derivationes cum re ipsâ, ut mox audie-
 mus conveniunt; Omnium tamen verissimam præstat lin-
 gua Hebraica, ubi *עֵדֶן* significat hortum amœnissimum
 & fertilissimum, sicut Neh. II, 8. de arboreto. Cohel. II, 5.
 de plantario & Cant. IV, 13. de pometo usurpatur, unde &
 postea LXX. Vir. κατ' ἐξοχήν Hortum illum in Eden Gen. II, 8.
 Παράδεισον adpellarunt, utpote à Deo ipso in amœnissimo
 loco plantatum, & fertilissimis arboribus fructibusq; ipso-
 rum suavissimis exornatum, ac fluminibus foecundissimis
 preciosissimis irrigatum. Et hunc ipsum Paradisum terre-
 stem & corporeum, ex quo Adam & Eva cum Posteris suis
 in exilium hoc miserrimum depulsi fuerunt, Nonnulli ex
 veteribus in promissione Christi intelligunt, & exinde do-
 cent, quasi non solum ibi Enoch & Elias versentur, sed & cum
 latrone omnes in eum reducantur anime justorum & commo-
 rentur ibi, antequam ad Beatificam Dei visionem admittantur.
 Ut videre licet in Sixti Senensis Bibliotheca S, lib. 6. Annot.

345. p. 617. ubi Patronos, tūm animas piorum in Paradi-
sum illum terrestrem translocantes; tūm ipsarum somnū
& quietem ad diem iudicii usque, vel ibi, vel in alio loco ac
campo somniantes, aut somniare visos hinc inde collegit,
& ex illis præprimis allegavit, *Responsiones 75. & 76. ad qua-*
estiones orthodoxas, quæ quidem Justino Martyri adscribun-
tur, cujus tamen ipso Posservino in adparatu suo p. 997. refe-
rente, non sunt, quemadmodum id Andreas Rivetus in
critici sui sacril. 2. c. 5. p. 198. tūm ex Irenæi Martyris & Ori-
genis, minimè ipsi coævi citatione, tūm ex locutionibus
nonnullis ipsius ætati ignotis prolixius deducit. Præter
Responsiones hæc nominat etiam inter alios plures Sixtus
Senensis, Irenæum l. 5. adversus hæreses, Tertullianum in lib.
de Anima Theophylactum in c. 23. Luc. & Euthymium in eun-
dem locum, qui expressè scribit, quod Christus sciens latronis
intentionem, id promiserit, quod ipsi optatissimum videretur.
Noverat nimirum latro è doctrina Mosaica Paradisum, inquit
Euthymius, & tunc quidem dedit ei conversationem in Para-
diso, tanquam arrhabonem regni sui, quod est fruitio ineffabi-
lium ac æternorum bonorum. Sed ut hæc omnia erronea
sunt, ita non immeritò à Nostratibus, & præter hos etiam
ex Pontificiis, à Cornelio à Lapide com. in b l aliisq; rejiciun-
tur, modò & hi ipsi non in lembū illum λεμβὸν incidere
simul, ut suo loco observabimus. Nam ipso Cornelio teste,
incertum est, an Paradisus terrestris post diluvium adhuc
superlit. Devastatas fuisse per hoc ipsum omnes ipsius
delicias, credunt Saniores. Nec Paradisus ille, si esset ceu
corporalis locus, animabus tanquam spiritibus, lætum &
sufficiens commodare posset domicilium. Et licet animæ
justorum diem iudicii expectare teneantur futurum, non
tamen dormiunt, aut quiescunt in alio extra cœlum loco,
sed

sed cū Chr. sunt & Dn. vident. Et licet beatitudo ipsarū ali-
quādo incorporū reunitio sit extendenda & consumman-
da, nihil tamen inde gaudii huic coelesti derogatur, quo
extra corpus adhuc ex visione Dei continua fruuntur. Fru-
untur enim animæ in hoc gaudio gloriā simul coelesti &
æterna eādē specie, cum illa, post corporum clarificatio-
nem & glorificationem, futurā, quemadmodum id Dn. D.
Hülsemannus in Brev. suo Theol. c. 16. §. 14. Oraculis non-
nullis ex *Matth. XXI, 31. 32. conlat. cum Luc. XX, 38. Phil. 1, 23.*
Apoc. VII, 9. & seq. XIV, 13. de promptis, accuratè confirmat,
ubi præprimis in desiderio illo Paulino, *quo dissolvi & cum*
cum Christo esse cupit, sequentia verba notat, quibus Paulus
addit, quod hoc, *cum Christo esse longè melius sit*, quàm scilicet
superesse in vitā, convertere infideles, docere, solari, &c.
Quod non esset, nisi hoc dissolutionis suæ votum illicò ad
beatā Dei visionē adproperaret. Tunc enim, si nepe animæ
post separationē a corpore nō statim beatitudine hāc fru-
eretur, *multò longèq. melius esset adhuc vivere*, & (lucri in-
terim vitæ coelestis ipsi integro manente) prædicta opera
exercere ac his ipsis & orbi Christiano prodesse, & sibi ipsi
majus pondus futuræ gloriæ comparare, quàm beatā Dei
carere visione. Nec negatā hāc visione beatifica nostro
judicio Apostolus in v. 21. *Mortem pro lucro habere potuis-*
set, Ad hoc enim *Christus ipsi est Vita, id est*, omnes ipsius
in vitā meditationes & actiones Christo ejusque Evangelio
consecrantur, & ex hoc ipso iterum pascuntur quasi quo-
tidie & confirmantur, ut ipse vivat in Christo, & *Christus*
in ipso Gal. II, 20. & in morte tandem summum hoc lucre-
tur bonum, ut *sit cum Christo & præsens apud Dominum 2.*
Cor. V, 8. ut Beatitudo ipsius sit in bonis Christi iisque actu
fruatur. Quod si itaque post mortem ipsi non concedere-
tur,

tur, discessus vel dissolutio ipsius non lucrum sed damnum
esset, ipsa quæ ante actâ vita longe infelicioꝛ.

LXII. Rectius ergo in promissione latroni data in-
telligitur *ὁ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ* non *αὐτῆς*, sed *Νοῦ* & cœlestis po-
tius, quàm terrestris, qui aut nullus hodie est, aut nullus
certe salutis veræ promissus condus, quam tamen ipsam
Christus promittens intendit, dum dicit: *Hodie mecum e-
ris in Paradiso, id est, ut Cyrillus Hierosolym. Catech. 13. circa
finem exponit, Hodie erit tibi salus.* Salus itaque æterna
est & summa ex beata Dei visione felicitas, quam Christus
in regno suo per Paradisum, promptuarium illud lætitiæ
& felicitatis celeberrimum pollicetur. Nec descriptio
seu comparatio hæc gloriæ cœlestis ignota est sacrae scri-
pturæ libro, nec absona. Provocamus ad 2. Cor, 12, 4. ubi
Paulo eminentissima revelatio facta fuit Paradisi & cœli
non Emphyrei & Crystallini, ut ex cerebro scholasticorum,
& Calvinianorum pingitur ac fingitur, sed gloriosissimi il-
lius status potius, quam loci, *Beatis in sempiterna gloria,
destinati, ubi arcana audiuntur ineffabilia, ubi vita de verbo
sine verbo, de verbo nullo sonante verbo, ut argute loquentem
Augustinum allegat Affelmannus in Resolut. Triad. verb. Test.
th. 66.* Provocamus ad Apoc. 11, 7. ubi *Vincenti, Tentationes
nempe satanæ, carnis concupiscentias mundi quæ odia &
seductiones, cibus de ligno vitæ in Paradiso Dei medio, id est,
immortalitas promittitur, adeo quæ iterum beatitudinis
futuræ status ejusque ratio ex Paradiso petitur terrestri &
ad delicias cœli æternas accommodatur. Nec ineptè? Quid
enim futuræ vitæ æternitati elegantius præcludere potuis-
set, quam Arbor illa vitæ Gen. 11, 9. Cujus fructus in per-
petua juventute & incolumitate hominem conservassent?*
Nec arbori scientiæ inter cœli figuras locus negatur, si

K

præ-

præsertim visionem illam beatissimam meditamur, quâ
homines non ad Malum summâque cum suâ miserâ de-
clinare poterunt; sed summum bonum & summa sua cum
gloria, juxta Paulum 1. Cor. XIII, 12. à facie ad faciem cogno-
scent. Et quid multa? Summas si læticias, summamque
si bonorum abundantiam ex absentia omnium molestia-
rum vel animum lædentium, vel corpus corrumpentium
& præsentia omnium deliciarum ad æternitatem nobis
inservientium proferre & conferre lubet. Habemus ec-
ce Paradisum Paradisorum, ubi & Deus sua vivaria possi-
det, Terram nempe viventium Psalm. XXVII. v. 19. qui Deo
vivunt Luc. XX 38. & Roboraria sua, in quibus beati, de per-
petua gaudii hujus duratione sunt securissimi Es. XXXII, 17.
18. Et in summa, sicut in Paradiso illo terrestri omnia bona
præter futuram gloriâ erant præsentissima, ita in Paradiso
hoc cœlesti nihil oberit; ut August. loquitur, nihil deerit, nihil
effluet, nihil defluet, nihil erit extra, quod appetatur, nihil intra,
quod fastidiatur, erit hic adfluentia divitiarum, refluentia de-
liciarum & confluentia bonorum. Erit hic summa securitas,
secura tranquillitas, tranquilla jucunditas, jucunda felicitas,
felix æternitas, æterna beatitudo, beata certitudo, certa visio,
& sine fine laudatio. Hæc omnia, quanta quanta sunt, Salva-
tor noster ex mera gratia & largissimâ liberalitate homini
peccatori, sed tamen poenitenti, sine omni mora illico &
hoc ipso die, quo ille supplicaverat, donat & concedit. Non
promittit tantum ipsi, quod ibi mox post mortem sit futu-
rus, ubi animæ suæ benè sit, quo sensu nonnulli sinum Abra-
hæ interpretari solent, sed ad intima felicitatis æternæ sa-
cra admittit ipsum, ubi & ipse animam suam mox traditu-
rus & depositurus erat in manus parentis, ut alibi, Deo dan-
te, audiemus. Quapropter & inquit Hodie mecum eris in
Para-

Paradiso q. d. Animam meam mox sequetur tua, & Paradisus ille coelestis, qui hominibus propter peccata ex terrestri illo eiectis jure praclusus erat, & à me econtra, pro peccatis satisfaciendo, referatur hodie, & meam & tuam animam hoc ipso excipiet. Non opus est, ut expectes egressum & ingressum meum triumfalem (ex quibus ille, ex sepulchro, hic in coelum, ille tertio; hic quadragesimo adhuc die futurus erat.) Hodie ergo ingredior per mortem, & tu ipse morti vicinus hodie eris mecum. Hodie ego vitae pando fores, & tu ipse mecum vives hodie, quia vivis in me. Ubi ego hodie & tu mecum eris.

LXIII. Nullum hic memoratur purgatorium ad quod latronem expurgandum ablegaverit Christus. Nullus hic limbus, ad quem vel ipse Christus ad redimendas Patrum animas transmigravit post mortem, vel latronem quoque secum duxerit, ut *Guido de Perpiniano*, *Sebastianus Barradius*, *Cornelius à Lapide* & qui cum ipsis sputum Patrum lamberunt, unanimiter narrant simulque adseverare, haut dubitant, ac si Patres & latro in limbo isto per Christi adventum & divinae ipsius essentiae conspectum, quasi in Paradisum introducti fuerint, & quae sunt alia, quae ne relatione quidem, multò minus refutatione digna censemus. Sunt enim omnia ficta, omnia falsa, omnia vana, quae olim pro limbo & hodie pro purgatorio proferuntur. Nec enim in rerum natura exstant; nec in sacra scriptura indicantur; Nec sanctorum & verae Antiquitatis Testimonio, roborantur: Nec ab Ecclesia Catholica, id est tam occidente, quam oriente semper contradicente simul adprobantur, nec ex precibus illis, quas pro defunctis veteres concipiebant, evincuntur. Non enim animarum liberationem sollicitabant illae, sed corporum resurrectionem, quemadmodum id B.



Dn. D. Henricus Höpfn. in Saxon. Evang. sect. 2. part. 4. c. 14. p. 537. accuratè ostendit ex liturgià *Basilii & Ambrosii & Canonè Missatiko* in *Comment. defunctis*, ubi rogatur Dominus, ut velit meminisse fidelium mortuorum in somno pacis dormientium & ipsis in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis & pacis, indulgere. Nam, inquit Theologus ille meritissimus, *si corpora eorum spectentur, tenebris sunt operta, ut Psalm. LXXXVIII, 13. & CXLIII, 3.* Itaq; ut è *TERRA OBLIVIONIS*, ut ibidem sepulchra vocantur, excitarentur, atq; ita secundo Christi adventu consummaretur redemptio & cum adventu illo conjuncta venirent tempora refrigerii, in die restitutionis omnium *Act III, 20* sollicitè devotèq; his precibus exoptare voluerunt. Et licet postea preces illæ novo modo informatae fuerint, ut pro relaxatione & redemptione animæ defunctorum oraretur, purgatorium tamen, in quo anima expientur, exinde inferri nequit. Possunt enim hæ formulæ exponi de gratulationè votiva, ob veniam & quietem jam tum acceptam, vel etiam de ejusdem veniæ & quietis jam acceptæ in extremo judicio declaratione, ut itidem Præceptor hic noster desideratissimus in loco allegato prolixius deducit, ex quo hæc ipsa in beatam ipsius memoriam nobis nunquam intermorituram, attigisse tantum sufficiat.

LXIV. Nec tenemur hæc vice ad plura. Nulla, namq; ut diximus, limbi & purgatorii in verbo nostro fit mentio, nulla ratio, quæ aurisugas hæc, crumenam potius, quàm animam purgantes, obtrudere nobis possit. Semper ipsis obstat, quod nec Christus ipse cum latrone ad limbum properet, nec latronem ad purgatorium ableget: sed uterq; in viâ est ad Paradisum ad summum cœli bonum, ad gaudia regni æterna, hanc viam Christus latroni

æroni promissione ostendit infallibili. Huic latro fiducia
insistit firmissimâ ac inmotissimâ, ut ipsum tùm ex Chri-
sti promissione, tùm ex sui adplicatione & adhæsione de
fide ac salute suâ certissimum fuisse, & in hâc fide ob-
dormivisse nulli dubitemus. Nec hodiè hæc certitudo
desse potest credenti, quod contra crudelem illam consci-
entiarum carnificinam notamus, cui Pontificii laqueos &
eqvales ex dubitationibus suis *pestilentissimis*, ut *Lutherus*
in Epist. ad Gal. c. 4. loquitur, & fluctuosis de gratia Dei con-
jecturis, haut parum subministrant. Nec caret hæc certitu-
do fidei sua *δοκιμασία*, quàm credens non solum à poste-
riori, & ex fidei fructibus, ex mortificatione carnis & spi-
ritus lucta, ex obsequii studio & charitatis exercitio, ex
supernorum desiderio & prægustu bonorû coelestiû jucun-
dissimo, adfirmare potest; sed etiam à priori habet *συν-
μαρτυρίαν* villam duorum testium infallibilem, *spiritus* nem-
pe *Sancti & sui*, Rom. VIII, 16. quorum nutu & ductu fa-
ventissimo hunc in modum firmatur: Qui scit, credit &
confidit Deum in Christo sibi esse propitiû, & ex hoc pro-
pitiatorio coelum & coelica gaudia sibi patere & parata es-
se, is credit fide salvificâ: At qui ego scio, credo & confido,
Deum in Christo mihi esse propitiû, & ex hoc propitiato-
rio coelum & coelica gaudia mihi quoque patere & parata
esse, quod ipsum innumera scripturæ dicta, benivolentiam
paternam nobis obferentia, & ex hac per Christum, pecca-
torum remissionem, justitiæ ad vitam, imputationem ac
æternæ tandem gloriæ participationem promittentia, &
ex indefesso Spiritus sancti patrocinio conferentia & con-
firmantia, sufficienter evincunt; quæ omnia mihi & deside-
ranti & adprehendenti ad proprio, quibusve firmâ fiduciâ
acquiesco & adhæreo. Ergò ego credo fide salvifica, & quod
inde sequitur hâc ipsâ fide vivo ad vitam æternam.

LXV. Et hæc & alia fidei vitæque nostræ firmamenta occasione promissionis hujus liberalissimæ adducere possemus haud exigua, de gratia Dei, summa benivolentiâ peccatores revertentes excipiente; de verâ poenitentia ejusque partium biga; de fidei & veritate & firmitate; de coeli apertione verbo hoc beatissimo non latroni solùm, sed omnibus simul in Christum credentibus factâ; de effigie futuri judicii, quam Christus latronum mecius ostendit nobis; de patientia exercenda de poenitentia exemplo latronis non procrastinanda, sed hodiè, hodiè agenda, juxta Ps. XIV, 8. Ebr. III, 7. 8. *Qui enim latroni serò & serò poenitenti indulgentiam promisit, is poenitentiam differenti, diem non sponndit crastinum.* Et esto tandem. Ex esu cibi, quo mille perierunt, superstes sit unus; Num verò hujus unius exemplo alii hunc ipsum sint gustaturi, vix credibile est. Ita honesta & salutaria differre semper ferme serum est & noxium. Sed tertium in testamento nostro Dominico restat beneficium, quod ut mentem Salvatoris nostri de salute nostra **CURIOSISSIMAM** promittit ac prodit, ita non inmerito curiosissimè à nobis evolvitur, & mittitur in acta.

LXVI. Tanta namque ipsius cura est, quam suorum causâ gerit, ut & oculis suis lacrimas & sanguinem stillantibus charissimos suos complectatur, iisque incolumitatem prospiciat. *Cum enim vidisset Jesus, inquit Johannes XIX. 26. 27. Matrem ac discipulum adstantem, quem diligebat, dicit Matri suæ γυναίκα ἰδὲ ὁ υἱὸς σὺ, Mulier, Ecce Filius Tuus. Deinde dicit Discipulo ἰδὲ ἡ μήτηρ σου. Ecce Mater Tua. Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua.*

LXVII. Et Testamentum hoc, inquit Hieronymus in b. l. comm. Nuncupativum est, quo Testator salutis nostræ curiosis-

riofissimus, ore *inter privatos & domesticos suos* accuratè dis-
ponit, quanto mater sua, & amore & honore, quanto offi-
cio & obsequio, quantà cura & tutela Discipulo dilectissi-
mo, Johanni nempe commendata esse debeat. *Testabatur*
hoc inquit Ambrosius in 23. Luc. Christus de cruce & Testamen-
tum ejus signabat Johannes, dignus tanto testatore testis.

LXVIII. Subjectum Testamenti hujus nostri est,
biga illa Sanctorum eminentissima, virgo, Maria nempe
Mater Salvatoris beatissima, & Evangelista Johannes, qui
historiam scribens evangelicam, vel *modestia causa*, ut *Theo-*
phylactus in h. l. conjicit, nomen suum proprium occulta-
vit, vel quoque de singulari Christi amore glorians & hoc
ipso sibi gratulans, *Dilectum Christi* se nominare maluit. Si
enim bigam hanc sanctissimam ex calamo Evangelistæ
contemplamur, singularissimus in utrisque notatur amor
& dolor ex Amati læsione, vehementissimus. Adserit
quidem *Anselmus*, quod *ideò Mariam cruci adstare oportue-*
rit, ne honore careret Martyrii. Et *Aloysius Novarinus* in *Joan.*
Expens. ad c. 19. sect. 3. n. 1675. conjicit, quod *ideò Christus cru-*
cifixioni suæ Matrem adesse voluerit, ut pati plus posset, vehe-
mentius quippe, inquit ille, adstans virgo torquebat Chri-
stum, quàm omnes sevientes Judæi crudelesq; milites. Sed
sine omni dubio amor utriusque adstationem illam inci-
tauit, & Matrem & Discipulum. Amor à parte virginis
est Maternus, & ut verbis mihi deficientibus verborum fa-
ciam compendium, Tantus qui
nullum novit habere modum.

Mater namque est, quam vidit Christus, quæ Filium,
quem sub corde gessit, in corde semper habet, semper in
ore, semper in oculis, semper in brachiis, & modò in sinu,
modò in manu, modò visceribus, modò uberibus suis vir-
gineis

gineis Memoriam ipsius recolit dulcissimam, quæ non amatur sed perit. Largus quoque in amando est Johannes, quem diligebat Christus, nec enim intimus amoris hujus divini adfectus obferrebatur solum Johanni præ cæteris, quod alii cum Hieronymo ipsius virginitati, aut scientiæ, alii cum Theophylacto modestiæ & mansuetudini ejus, & alii omnium rectissimè gratiæ Dei indebitæ adscribunt, sed devota quoque reverentiâ amorem hunc gratiosissimum in corde suo defigebat Johannes, & Charitatis per fidem reciproce specimina edebat inlustrißima, ex quibus se ipsum prodit insignis ipsius constantia, quâ Choro Apostolorum in fugam verso, cum Deipara ad crucem Domini sui stetit. Et hanc amoris utriusque candidissimi tesseram ipse quoque notat, dum in historia Matrem & sese cruci depingit *adstantem*. Non solum namque pedibus suis stabant & Deipara & Johannes, sed cordibus quoque, hoc est, crucifixo intimè adhærebant, *stabant in fide*, ut Paulus suos Corinthios monet 1. Epist. XVI, 13. & in hac ipsam consistebant ad crucem, quo sensu τὸ ἵσχυι Matth. XII, 25. accipitur. Si enim sine fide fuissent, non stecissent, sed cecidissent & refugissent. Tot & tantis scilicet doloribus *in statione* hac pia ac devota & Mater Christi & Johannes ex passione Domini sui vulneratissimi conflictabantur simul, ut mirum non fuerit, si succubissent ambo, vel ad minimum spectaculo huic miserissimo se subtraxissent, & pugnae huic accerrimæ manus dedissent victas.

LXIX. Non sine re, ut dolorem Deiparæ paulisper perlustremus, in mentem nobis hic venit, quod Simeon ille *vetus & letus*, apud Luc. II, 35. de gladio animam ipsius pertransituro prædixit. Maximè namque in hac pugna Gladius iste Simeonis sævire cepit. Et quò flagrantior Matris erga

ga Magistrum est amor, edacutior est dolor, cujus ille mo-
dus & mensura est certissima. Nec exacuebat tantum,
hunc gladium, huncq; dolorem penetrantissimum amor
Matris internus, sed & externus hostium furor, quo tanto
labore corpus Christi sanctissimū & vulnerabant & lacera-
bant, ut non nisi merus sanguis vulnusq; merissimum vi-
deretur. *Didacus quidem de Bæza T. 3. de Christo in V. T. figu-
ratol. 6. eu. §. 17. & cum eo eo alii hunc Simeonis Gladium*
ex verbis Christi quærent, quibus ille, ut mox audiemus,
Matris nomen præterierit & alium substituendo Filium i-
psam à se quasi dividerit, quo sensu *Bernb. serm. super c. 12. A-
poc. scribit: Annon tibi plus, quam gladius fuit sermo ille revera
pertransiens animam & pertingens usq; ad divisionem animæ
& corporis? Mulier ecce filius tuus! O commutationem!
Johannes tibi pro Jesu traditur, Servus pro Domino, Filius Ze-
bedæi pro Filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non
tuam adfectuosissimam animam pertransiret hæc auditio,
quando & nostra, licet saxea, licet ferrea pectora recordatio
scindit? Verum cum animus Christi non sit afflictam ad-
fligere, sed potius erigere: Et pectus econtra virgineum
ex ipsa innocentissimi Filii persecutione, multum acu-
tiore gladio transfigatur, non est, ut hisce conjecturis infi-
stamus; sed *Damascenum* potius audimus qui *l. 4. orth. fid.
c. 13.* gladium hunc ex forma Filii cruentissima stringit,
dum inquit: *Quos in partu dolores effugerat beata, eos passio-
nis tēpore sustinuit, ut quæ pro materno suo adfectu viscera sibi
lacerari senserit, dum eum, quem Deum gignendo noverat, tan-
quam fontem ac facinorosum morte adfici conspiceret, intimis
cogitationibus ceu gladio discerpebatur.* Et quis morsus il-
losævissimos pectus hoc afflictissimum fodientes & per-
fodentes sufficienter effari potest. Cogitabat illa Filium
L quem*

quem brachiis gestaverat latissimis & jam ipsum conspicit inter brachia crucis funestissima. Cogitabat illa coelestes illas delicias, quibus Filium Dei Ubere suo lactaverat virgineo & iam ipsissimis suis oculis conspiciere cogitur, quanto madore & cruore os ejus sanctissimum quasi suffocetur. Cogitabat illa suavissima Matris officia, quae devotè olim oculissimo suo filiolo praestiterat, quaeque summa animae suae solatiū reddere possent, si reperere illa liceret, sed frustra! Conspicit Filium in extremā miseria, & juvare non potest; Conspicit sanctissimum inter latrones, & eripere ipsum non potest, conspicit in lacrumis ipsum, & lamentis doloriferis, & solari non potest ipsum, vulnera conspicit & ligare non potest, ligatum & alligatū conspicit filiū suū, & solvere non potest, moribundū conspicit ipsum & osculo nequit valedicere. Et ut ascendamus paulisper ab affectibus naturalibus ad spirituales, sensit sanctissima virgo in suo etiam corde ardorem & flammam irae divinae adversus peccata, quae nunc depascebat & cruciabat tam animā, quam corpus sanctissimi illius fructus ventris sui: & deflebat unā obstinaciam populi sui, qui mysterium & beneficium hoc redemptionis per sanguinem innocentis coram habet, pedibus proterebat; Verius: Quod vulnera in corpore Christi sanctissimo, quot ictus ibi, tot ulcera in corde Matris moestissimo, totque sensus gravissimi.

LXX. At hinc tamen blasphemè colligunt Papicollae, quod Mariae compassio major & amplior sit, quam passio Christi. Ita enim, ut unum ex multis nominemus Cornelius à Lap. in b. l. p. 525. *Beata virgo amplius & diutius passa fuit, quam Christus, nam passio Christi desit in morte; tunc autem beatae Virginis passio non desit, sed crevit, nam Christi corpus mortuum de cruce depositum ipsa excepit cum red vivo dolore*

lore, ac deinde per tres dies sepultura, cruciatus Christi crucifi-
xi, quos ipsa cominus oculis adspexerat, vivi hærebant in imagi-
natione ejus, eamq; cruciabant, usq; dum Christus resurgens suâ
adparitione, consolatione & gloria eos absterfit. Rursum beata
Virgo relicta fuit à Christo post se, ut illa Apostolorum & fidelium
foret mater, eos lapsos colligeret, adflictos solaretur, titubantes
solidaret, dubiis & anxiiis consuleret, eosq; per omnia dirigeret,
instrueret, animaret. Unde ipsa statim Apostolos à Christo capto
diffugientes collegit. Petrum ob negationem Christi pusillanimum
spe venia erexit, omnesq; morte Christi turbatos, fide resurre-
ctionis Christi mox futura confirmavit. Deinde cum Principes
Judeorum Apostolos incarcerarent flagellarent, occiderent,
ipsa omnes hæc persequutiones quasi sibi inlatas, vivè sentie-
bat; sed excelsa animo superabat, & Apostolos superare verbo &
exemplo docebat. Hæc omnia prævidens, Christus dixit, MULIER.
q. d. Mater esto deinceps mulier fortis & generosa, quæ me loco
sis basis, petra & columna mea Ecclesie, ut eam robore tuo ful-
cias, & omnes contra eam tentationū procellas tua constantiâ,
consiliis, oratione dissipet, non tantum nunc, sed & omnibus de-
inceps seculis usq; ad finem mundi. Hæc Cornelius. Verum
enimverò, si scapham scapham adpellare licet, nil nisi mē-
dacia & in meritum Christi convitia horrendissima prodit
hic Jesucida. Convitium est, Blasphemia est, Christum
non tantum esse passum, quantum Maria. Nec enim com-
passio hæc beatæ Virginis Christi æquivalet Passionibus,
multo minus antecellit. Nec despicit mens devota in pas-
sionis tempus sed pondus, nec duratio attendenda est; Ita
namq; & illa propter peccatorum nostrorum ex infinito
Deo offento infinitam pœnam in infinitum quoq; exten-
di debuisset. Sed perfectio ejusq; efficacia, quam ex infi-
nito Deo patiente, infinitam habuit & divinam, ut supra

th. IX. observavimus, Et in meriti hujus per accuratum of-
fensæ & satisfactionis æquilibrium rigidæ Dei justitiæ per-
fectissimè respondentis ipsiq; satisfaciens respectu, id est,
ad redemptionis negocium collati, dolores beatissimæ vir-
ginis nulli sunt.

LXXI. Nec fatigant nos reliqua, quæ *Cornelius* ad
obtinendum Mariæ adjutorium satis operosè quidem, sed
futili & inani labore adducit, ubi enim hoc scriptum est;
quod Maria lapsos Apostolos, tanquam Mater collegerit,
quod titubantes solidaverit, quod Petrum crexerit, quod
flagellatos animaverit, & quæ sunt alia? Quæ certè aut
nulla sunt, aut nimis ingratos esse oportet & Lucam &
Paulum & Petrum & Jacobum, quod oblivioni tradide-
rint, tot & tantas consolationes, tot consultationes, tot
visitationes, tot benedictiones & quæ sunt alia, quorum
plura narrat *Cornel. in Acta XXI, 17.* & alibi passim. Quod
itaque uni mendacio dicimus, id cæteris omnibus dixisse
sufficiat. Et posito tandem, quod hæc omnia fecerit vir-
go pientissima, quod & suo modo alias Matronas fecisse
legimus, num verò exinde, sol iste ab hæc lunâ Eclipsin
patietur? Minimè verò! Nisi id quoq; summo simul cum
Ecclesiæ fiat detrimento, quæ ceu terra, solis maximè in-
diga, maximè per interpositionem talem patietur.

LXXII. Nec verum est, quod *Cornelius* fingit: Bea-
tam virginem propter gloriosas & heroicas illas actiones,
quibus in ecclesia sub tentationum præprimis ac persecu-
tionum nocte, ceu basis, petra & columna fuerit, mulierem
à Christo ipsissimo dictam esse. Ut namq; expeditio illa Ma-
riæ falsa & ex cerebro superstitioso excogitata est, ita nec
compellationi, nec intentioni respondet Christi. Mulierem
quidem sive *yuvènâ* Christus Matrem suam compellat, sed
quis

quis sanæ mentis homo ex nudo hoc sexus nomine tot sub-
sidia in Ecclesiam colliget, ubi Mulier tacere debet non
docere, juxta I. Cor. XIV, 34 I. Tim. II, 12, Imò contraria est
collectio ista intentioni dominicæ, qui matrem suam mu-
lieris nomine compellendo in redemptionis negotio po-
tius ab omni cooperatione separare voluit, quam invitare
vel ad assistentiam ipsi committere, ut jam patebit, quin &
commonescere, quod sexus ille fundus sit hujus calami-
tatis, quam Mariæ filius hîc expiabat.

LXXIII. Variant equidem Doctores & *Mulieris*
titulum, quo Christus matrem suam compellavit, alii eò
interpretantur, ac si præcavere voluerit matri ab injuriis
hostium, quibus hoc ipso nomine facta fuisset exosior. A-
lii ad viscera matris recurrunt, quorum dolorem, dulcissi-
mâ matris voce adaugere noluerit, ut *Baptista Mantuanus*
canit: *Talibus admonuit matrem sine nomine matris*
Ne materna pium cruciaret viscera nomen.

Alii ut *Barradius T. 4. Harm. Bibl. l. 7. c. 16. p. 308.* putat, ad con-
suetudinem Ebræam provocant, cui *Mulieris* nomen dul-
cius sit, quam matris; Juxta alios verò matri in memoriam
revocat Christus futuras ærumnas, & desertiones huma-
nas, quibus ceu mulier vulgaris futura sit obnoxia. Sed
quia *Job. 2, 4.* in nuptiis Cananæis eadem compellatio oc-
currit, verissimum est, ut diximus ante, quod Christus hu-
manas superstitiones supersticiosasque opiniones prævi-
dens in iis, quæ ad officium suum pertinent, adeoque in ro-
to redemptionis suæ negotio, matris suæ authoritatem aut
potestatem hautquamquam aliam, quam mulier vulgaris
habet, i. e. nullam æstimet, & hoc ipso præcavere velit, ne
pars officii sui mediatorii vel intercessorii in matrē trans-
feratur. Quo & *Ammonius Alexandrinus in Harm. Ev.* respi-
cit, dum inquit: *Mulierem adpellat, ne quid adfectibus huma-*
nis erit

nis tribuere videretur, qui Patris celestis jam ageret officium, Patris hoc erat officium, ubi solus Christus, est oculus noster, ut per ipsum videamus Patrem, Ipse vox nostra per quam loquamur ad Patrem, ipse dextera, per quam Deo Patri sacrificium nostrum offeramus, ipse quoque signaculum nostrum, quod est perfectionis & charitatis insigne, ait Ambrosius l. de Isaac & anima c. 8.

LXXIV. Absit itaque à nobis, ut Christo patienti matris suæ dolores, vel æquiparemus vel præferamus vel etiã subsidium succenturiemus. Sed tamen & magnos tantosque fuisse hos ipsos, ut verba superent nostra, non negamus. Miramur potius constantiam & matris & discipuli in strenuo hoc amoris, & doloris exercitio pugnantem & obtenantem. Et hanc ipsam non parum juvasse arbitramur memoriam illam continuam, & verborum & factorum, quæ de Filio ejusque Persona & officio haud obscura testabantur Luc. II, 19. Nec abludivit à scopo, quod Doctores nostri, Christum hæc ipsa mulieris adpellatione, fidem matris suæ, & discipuli adstantis de passione suâ ejusque usu & fructu informasse, ac corroborasse, adferunt. Neminem enim latet Protevangelium illud inlustriusimum, quod Gen. 3, 15. primis nostris parentibus de MULIERIS semine serpentis caput mordentis contrituro prædicabatur, & tantâ aviditate, à singulis expectabatur, ut ex foeminino sexu, non una saltem in hanc spem inciderit, ac si ipsa sit illa mulier, cujus semini felicissima hæc dignitas sit decreta. Hujus itaque promissi matrem suam perturbatissimam memorem facit Salvator, dum ipsam mulierem vocat, & ipsi simul dulcissima, quasi hæc verba instillat: MULIER: Memento, te solam matrem esse seminis illius promissi, & non ex mutuo parentum semine, sed solo virgineo orituri. Vides quoque vulnera, morsus Satanæ serpentinos, quibus cum agmine suo carnem

nem meam, ceu calcaneum sibi hodie objectum undique
petiit & sauciavit. Lacrumis ergo defluentibus & cum san-
gvine copiosissimo misturam facientibus ne movearis. In-
dicina hæc pugnae est, quam tui tuorumque causa cum ho-
ste vestro infensissimo de pugnavi maximam, quæque vi-
ctoriam sine sanguine non pollicetur. Erige te potius, &
victoriam hanc præsentissimam exosculare, quam labore
hoc cruentissimo jam reportabo. Rebellem ecce mox im-
bellem cerne populum, & regni ruinam ecce infernalis;
nunc enim sub pedibus meis victoriosissimis est caput e-
jus, quod illi sanguine polluti jam conculcant, jam con-
terunt.

LXXV. Et dulcissimâ hæc consolatione matrem
suam cum Johanne inter tot tantosque dolores non solum
erigere voluit Salvator ac salutis nostræ Testator curiosis-
simus, sed quoque ex redemptionis hoc suæ præsentis fun-
damento, cui & mater & discipulus firmiter innitebantur,
magis magisque bigam hanc religiosissimam inter se constri-
gere ac devincire cepit, & hoc ipso simul matri suæ dilectis-
simæ post discessum suum de externâ curâ & tutelâ prospexit.
Quod testamenti hujus objectum, vel contentum est; Et
juxta extremam Salvatoris voluntatem nihil aliud in vo-
tis & desideriis habet, quam ut ex amore hoc infucato, ma-
ter ipsius charissima in posterum à Johanne, ceu Filio in-
cumbit, honoretur, id est, sustentetur, defendatur,
& in tuto pro viribus conservetur. Huc commendatio
ejus respicit reciproca, quâ & Matri dicit: *Mulier ecce Filius
tuus*, & Johanni *Ecce Mater tua*.

LXXVI. Hic iterum papicolæ habent, quod more
suo fingant ac pingant, dum vel conformitatem Johannis
cum Christo somniant, vel alia quoque de naturali ipsius
filia-

filiatione narrant. Ex illis, qui conformitatem Johannis cum Christo propugnant Didacum de Baëza nominamus, qui T. 2. de Christo in V. T. figurato l. 5. c. 2. §. 29. ex origine Tom. 1. in Joan. notat, quod in verbo hoc Christi tertio Johannes designetur, quasi ipse prorsus desierit, & fuerit conversus in Jesum Maria Filium, & postea disputat, Cur tanta similitudo inter Johannem & Jesum ostensa fuerit? Cur Jesus non contentus fuerit discipulum extollere, dum ipse credit Maria Patrocinium, sed insuper ad majorum ejus exaltationem addiderit, quod adeo sibi sit similis, ut haberi posset alter Jesus? Et hanc ipsam postea conformitatem, vel similitudinem Johannis cum Christo, singulari ejus ad crucem adpropinquationi adscribit & dicit: Equidem ille tuto & securè Deo adpropinquat, qui illi conformari & adsimulari nititur. Quod & in sequentibus ex paternâ illâ voce Christum & in monte Thabor Matth. XVII, 5. & in fluvio Jordanis Luc. III, 22. pro Filio sibi dilectissimo commendante, ostendit, dum inquit: Ecce tibi utrobique vox Patris auditur, sed in Thabore ad DEI vocem consternati Discipuli, JESU Amici ceciderunt in facies suas; Verum in Jordane nullus ad DEI vocem obstupuit, nullus timuit, Tota turba imperturbata est, quod & ipse Chrysostomus Homil. 57. in Matthæum demiratur. Ratio certè discriminis hujus nulla alia est, nisi quod transfigurato CHRISTO, discipuli non transfigurabantur, quum e contra Baptisato JESU omnes similiter populares baptisarentur. Hinc factum, ut qui in simili Baptismo cum JESU erant, intrepidè & tuto presentiam & propinquitatem sustinerent divinitatis, timerent autem & expaverent discipuli, qui in longè diversa forma in Thabore adstabant.

Sed

Sed ut paucis respondeamus, Quid quæso Majestaticæ illæ Manifestationes, ad Crucem, ubi Filius Dei in formâ servi abjectissimi pender? Quid quæso Conformitas Baptifatorum cum Christo baptifato, ad fictam illam Johannis coram cruce stantis transformationem. Cum Christo sanè conformes esse oportet, qui aliquando juxta Phil. III, 20. *Conformes esse cupiunt corpori Christi glorioso*, quoad gloriam nempe, quæ corpori ipsius ex Resurrectione suâ gloriosissimâ accessit. Sed conformitatem aliam Scriptura non novit, nisi eam, quæ per fidem in Christum acquiritur, hoc enim, contendo inquit *Apostolus cit. loc. com. 9. & 10. ut inveniar in Christo, non meam habens justitiam, sed quæ per fidem in Christum acquiritur, quæ à DEO fidei transcribitur τὴν ἐν ΔΕῶ διανοσὺν, ἐπὶ τῆ τῶϊσε, ut cognoscam illum & virtutem resurrectionis ejus, & communionem passionum illius, conformis Morti ejus, id est in honorem mortis, ejus simile mortis genus non detrectans.* Num verò hæc ipsa fidei Gal. III, 26. 27. *Christum intuentis, cum Christo conformitas & conformitatis hujus Christianæ studium Pontificiæ superstitioni respondeat, & transformationē illam, quam Baeza, in Johanne fingit, producat; ut ille Beatæ Virgini ceu alter Jesus commendari possit meritò dubitamus.* Lusus ingeniorum ista sunt. Et quid plura? Nunquam

M proba-

probabunt, hanc conformitatem in mente fuisse
Christo.

LXXVII. Refert *Johan. VVolfius in T. 1.
Lect. Memorabilium, Cent. 14. p. 644.* ex antiquo
*Gerhardi Ridderi libello, lacruma Christi dicto, quod
Minorita quidam in Germaniâ predicavit; Johan-
nem Evangelistam Mariæ naturalem filium potius
fuisse, quàm Christum, cum hæc verba in cruce ex illi-
us ore processerint, qui mentiri nunquam potuit. Sed
ô stuporem! Sanioris mentis hæc in parte est Barra-
dius, dum loco supra citato quæstionem hanc? An
verba Domini in virgine & Johanne relationes ali-
quas phycas ac veras effecerint? evolvens, tum ex
sensu verborum intento, qui non naturalem ma-
trem & filium sed quasi talem requirat, tum ex re-
lationum fundamento, quod in virgine & Johan-
ne poni non possit, Negativam propugnat, cui &
nos antea citati *Didaci de Bæza* verba, quæ tamen
& ipsa superstitione communi non carent, adpo-
nimus, quibus *T. 4. l. 8. c. 17. §. 1.* scribit, quod Chri-
stus Mariam, cum alium ipsi filium adsignaret, idem
non Matrem sed Mulierem vocavit, quod tanta
*Mariæ virginittatis gloria fuerit & Maria tam
Deifica adparuerit, ut nec Mater credi possit in alio
Filio, qui divine origini non responderet.**

LXXVIII. Metaphoricum ergo est *Filii* no-
men, & accipitur à Christo pro eo, qui sincero ad-
fectu

fectu & cura, Matrem vel quæ Matris loco est com-
plectitur, quemadmodum & vicissim *Matris* no-
mine intelligitur ea, quæ Matris loco reverenter ab
ipso colitur, quod & *Barradius* adserit, dum dicit:
*Facta est Virgo Mater Johannis adfectu & curâ, Fa-
ctus est Johannes Filius dilectione & obsequio. Et
hunc ipsum amorem intimum curamque hanc
fidelissimam ceu summam Testamenti hujus
Cyrillus in l. 12. c. 33. prosequitur dum dicit; Commen-
davit Christus Matrem Discipulo Johanni, ut officii-
um filii in eam servaret, Matrem similiter admonuit,
ut parentis in discipulum auctoritatem haberet; A-
more videlicet atque charitate illos non minus conjungi
voluit, quam si natura maxima propinquitate con-
juncti essent. Sunt quidem qui dicunt, carnis conjun-
ctione Christum ad hanc commendationem com-
motum fuisse, sed ad hanc opinionem non nisi mente
capti dilabuntur.*

LXXIX. Paucis. Christus jam Morti pro-
ximus mundoque valedicturus, Matris adhuc in
mundo manentis externam & visibilem curam
gerere, ipsique de temporalibus, modo hætenus
solito prospicere amplius non debebat: Ne itaque
illa ceu Vidua (mortuum namque tum fuisse Jose-
phum, *Epiphanius* scribit Hær. 78.) derelicta & æ-
tate fermè fatigata spem victus & amictus despon-
deret, aut illam de provisione vitæ suæ futurâ peni-
tens abjiceret; Alloquitur ipsam Christus & ultimâ

M a

hæc



hâc suâ dispositione animat quasi, & Johanni, quem tum præsentem videbat, & ex intimi amoris exercitio benè noscebat, tenerrimè commédât. *Ecce*, inquit ad Matrem, quæ aut nimio lacrumarum fluxu oculos in vicina non defigebat, aut certè à spectaculo hoc non deflectebat. *Ecce*, inquit, & nutu capitis spinis pleni, oculisque suis inter sanguinem & Lacrimas cum Bigâ hâc suâ Oculis simâ q̄. ludentibus, nominat, quem velit. *Hic est Filius Tuus*. Hic meus carissimus inquit, filii officium præstabit Tibi in posterum & obsequiosissimè ac fidelissimè necessitati tuæ succurret. Et ut piētissima Virgo de adfectu hoc filiali sit certissima ipsum quoq; discipulum de summo hoc Christi amore ejusq; honore sine dubio sibi gratulantem, ad hoc officium & obsequium adhortatur, dum inquit: *Ecce Mater tua*, q. d. Hæc Mater mea Tibi in posterum tanquam filio suo nonnulla faciet negocia, sed non dubito, quin lubentissimè mei gratiâ sis suscepturus ista, & in Testimonium Amoris Tui constantissimi sis expediturus, quæ ipsam juvare, quæ curare ipsam & mei loco inter futuras adversitates sublevare & recreare poterunt. Agite amicissimi mei, & amore vivite æterno.

LXXX. Dicitur Factum. *Et ex illâ horâ accepit illâ Discipulus in sua*, inquit Evangelista & effectum Testamenti hujus indicat nobis ex hoc ipso quod

Ita quod Discipulus Beatam Virginem acceperit,
non solum *in suam matrem*, ut Beda scribit, sed quo-
que *in suam curam*, in suam Domum, & habitatio-
nem, ut verba in fonte sonant *εις τὰ ἴδια*, in sua pro-
pria. Ita enim accipiuntur Joh. xvi, 32. de Discipu-
lis, tempore Passionis Christi in sua fugientibus, &
intelliguntur vel propriæ cuiq; domus, vel proprii
qvæstus, qvælis apud plurimos erat piscatura. Jo-
han. xxi, 2. vel etiam alia Latibula, qvæ sibi quisq; ve
in proprium suum commodum qværebat. Sic
quoq; de propriis domibus usurpantur verba ad-
ducta. Act. xxi, 6. *in quibus quisq; suum negocium
agit, & propriis suis manibus operatur.* i. Thess. iv, 11.
Nec obstat, quod Matth. iv, 21. 22. Marc. I, 19. 20.
Luc. V, 10. 11. Johannes cum Fratre suo vocatus,
Relictis omnibus suis Christum sequutus fuerit. Hoc
enim non proprii boni plenariam tollit possessio-
nem, sed tantum temporariam qvandam absti-
nentiã ab usu boni possessi insinuat, qvemadmo-
dum hoc accuratè deducit Dn. D. Chemnitius in
Harm. sua Evangel. l. 3. c. 38. fol. 511. dum inquit:
*Utile est observare, qvælis fuerit desertio Apostolica,
qvando relictis omnibus sequuti sunt Christum. Nam
post desertionem illam adhuc est & vocatur Domus,
Simonis & Andreae Matth. VIII, 14. Cujus proprietatem
& Dominium ita sibi vendicat, ut convivium in
illâ instruat.* Et postea etiam Matth. xvii, 24. tan-

quam Civis capernaiticus didrachma solvit. Et post resurrectionem Job. XXI, II. utitur naviculis & retibus tanquam suis. Matthaus etiam post vocationem, domo & facultatibus suis ita utitur, ut ibi & inde convivium pro multis instruat Matth. IX, IO. Apostolica igitur desertio non fuit abdicatio proprietatis Domini & usus facultatum, nempe Totalis. Sed ab administratione & usu tunc abstinuerunt, quando aliis Apostolicae vocationis laboribus occupati fuerunt. Quando verò res & occasio ita ferebat, ut nihil impediendi objiceretur iis, quæ ad vocationem Apostolicam pertinebant, liberè facultatibus suis usi sunt, quarum proprietatem & Dominium in ipsâ desertione sibi retinuerunt. Alia verò & specialis fuit desertio, ad quam Christus Juvenem Phariseum vocavit, Matth. XIX, II. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, Veni & sequere me. Et post missionem Spiritus, Ratio Apostolatus, cum in omnem terram ad prædicandum Evangelium ipsis exeundum esset, non permisit, ut ad sua redirent. Manet ergò, quod Johannes Beatissimam Virginem non solum in domum suam receperit, & pro viribus suis sustentârit, sed etiam, quum ipsi ratione Apostolatus transmigrandum & propria domus deserenda esset, in Comitatu suo perpetuo habuerit, donec & illa vitam meliorem intravit.

LXXXI. Et tantum quoq; de Verbo hoc Salvato

vatoris Tertio, ex quo, sicuti cura ipsius, quam nostræ Salutis causâ gerit, adsidua & indefessa luculenter effulget, ita etiam variis & fidem & vitam nostram inlustrat documentis, & modò nobis specimen edit Fidei & Charitatis infucatae, Christo sub cruce quoq; fervientis, modò ad constantiam, modo ad Patientiam, modò ad reverentiam V. G. Parentibus debitam ipsoq; Christi exemplo suffultam, & quæ sunt alia, quæ in Homiliis passim tractantur, invitat, & manuducit. Nec silentio planè præterire possumus, quod insignis hîc Nobis Veræ & Orthodoxæ Ecclesiæ ostendatur pictura, quæ non solùm conditionem ipsius afflictissimam & ex Mariæ Cruci adstantis Typo haut rarò Amaris- simam, sed etiam communionem charitatis sincerissimam, & ex Mariæ ac Johannis Collegio ab omni heterodoxiâ, omniq;ve cum Heterodoxis societate aut Pacificatione, aut aliâ Transactione, Remotissimam, Vivis suis coloribus repræsentat. Sed tantum hâc vice. Adstat Typographus & Finem urget, quem eò facilius inpetravit, quò angustius est tempus & Res econtrâ Verborum residuorum prolixiores prolixiorum postulant laborem, cui & quamprimum per labores nostros poterimus, debitum promittimus.

complementum.

DEO SIT GLORIA.


• Elencbús tractatuum hoc volum: comprehensivum.


1. BECCERI analysi Psalmi secundi.
2. GESNERI contra primatum Romani Pontificis.
3. HUTTNERI Theoremata tria ex Jobann: 1. 29.
4. FÖRSTERI medulla capit: 53. Esai:
5. Ejusd: Disputationes V. in c. 53. Esai:
6. WINKELM: Disput: ex Jobann: III. 16.
7. Ejusd: Disput: ex Jerem: 23. 3. 4. 5. 5. 7. 8.
8. MAJORIS apobaptis oraculi Apostolici 1. Jobann: 1. 7.
9. THUMMII ex verbis dicti Paulini Coloss: 2. 9.
10. FRORESENII Disput: de 7 Verbis Christi novissimis. Autor DANUBIENSIS.
11. SCHMIDT EJUSMODI dicti Evangelii Luc: XI. 28.
12. Ejusd: de peccator Confes: penitentiali ex Job: 24. 13.
13. BERGII de loco Prop: II. 22 - 31.
14. HÖFFNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: 1. 26. 27.
15. WILHELM: ZYSERII Diaboli oraculi Job: 1. 29.
16. Ejusd: Explicatio Ps. 14. 1. 2. 3.
17. Ejusd: de Anti. Christo ex 2. Thessal: 2.
18. BULAI EJUSMODI dicti Hof: XIII. 9.
19. HÜLSMANNI meditatio ad dictum Rom: IV. 25.
20. LANGII protuevangeliū, Genes: 3. 15.
21. Ejusd: Jesus typicus in sacrificiis veterum ostensus.
22. MARTINI assertio theologic: de curia ad locum Jerem: XXXI. 31 - 34.
23. HENRICI mysterium economia ex dicto ad Coloss: 2. 9.
24. CUNDISII exercitatio theol: ex Esai: 49. 22. 23.
25. Ziegna expositio Psalmi 2.
26. LANGGE septem verba Christi.
27. KUNZE Disput: ex 1. Tim: 3. 16.
28. Ejusd: de Confessione dominis ab infidelitate ad fidem.
29. GERHARDI Cyrillus.
30. OLEARII lumen gentium Luc: II. decantatum.
31. 32. Programma ex Gen: 49. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
33. ZILLI philologia in Esai: 1. 4.
34. BOSII Evangelium anathemate desensu, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
35. ALBERTI magnificentia divina Joel: 2. 28. 29.
36. NIEMANNI de Christi devoti querela, Matth: 27. 46.
37. THILONIS Disput: ex 1. Corinths: 2. 14. 15.
38. MEYCKELII Exercit: theol: ad Rom: II. 31. 32.

ung II 18

VD 17

Z





667

26.

VERBA

ICILLIS

NUS NOSTER

MUS

ET LECTO

ALARGISSIME

mentem

iora,

si Reverendissima

ogia Licentiatus &
Superintendens.

lg. cl. b. CLI.

Götzianis.

ei Hönlj.